Caro cruda p. 89. Sacrificium meruentum 88.
Dentes infrigidant 169.

[illegible]

Privatas Missas Graeci non sunt Viratus 92 b. Vide Sic
86. 170. 179 Chrysost. hom. 60 & 61 ad pop. Antioch. t. 5.

Caro cruda p. 89. Sacrificium meruentum 88.
Dentes infrigidant 169.

[illegible]

Privatas Missas Graeci non sunt Viratus 92 b. Vide Sic
86. 170. 179 Chrysost. hom. 60 & 61 ad pop. Antioch. t. 5.

[redacted]

Anno Christ
1656

PETRI MARTYRIS
VERMILII FLORENTINI
uiri doctiſ. de ſacramento eucha-
riſtiæ in celeberrima Angliæ
ſchola Oxonienſi ha-
bita tractatio.

Johannes Wil-
helmi Rekn.

Quod edimus intrat ventrem, & quod credimus
intrat mentem

Itaque panis paludum
est ventris. Sapien-
tia autem dei &
promissio cui fi-
dem habemus, sagi-
na est mentis

TIGVRI APVD ANDREAM
Geſnerum F. & Rodolphum
Vuyſſenbachium. Anno
M. D. LII.

IOAN. VVOLPHIVS
IOANNI BVTLERO VI-
ro nobili S. D.

VETVS ratio est iam usq; à Patrum nostrorum ducta temporibus, eaq; & nostra ipsorum & conplurium populorum firmata consuetudine, excipere munusculis eos, q è thermis, in quibus uel recuperandæ uel tuendæ ualetudinis gratia lauerant, salui ad nos atq; incolumes redeunt. Magnificus sanè mos est, & ad mutuam beneuolentiam siue conciliãdam siue confirmandam utilis, quiq; amoris nexu quàm arctissimo possit homines cum hominibus cõiungere. Itaq; ut eadem mei, quod ex tuis cõmodis capio, significãdi gaudij ratione utar Butlere, primum tibi è thermis nostris saluo ad nos reuerso, uti debeo, gratulor, lætorq; plurimum & tua & tuorum omnium bo-

na ualetudine: tum aũt munus, quod & ab amore noſtro, & à tuis ſtudijs non ſum alienũ arbitratus, ad te mitto, meæ erga te beneuolentiæ qualecunq; indicium. Nam cũ is ſis, quem Deus opt. max. qui unicus eſt fortunæ rector & moderator, non ſolũ ita magnis opibus, & fortuna ſplendida atq; nobili dignum duxerit, ut ad uitam liberalem & magnificam tuæ tibi facultates, quantum ſatis eſt, ſufficiant, uerum etiam adeò pio atq; excelſo animo te donauerit, ut neq; genus, neq; opes, neq; quicquam aliud pluris quàm pietatis ſtudium facias, exiſtimaui, literato munere tibi neq; gratius quicquá forè neq; acceptius. Verũ ut quod qualecunq; illud ſit quod tibi mitto munus, prius aperiam, q̃ rationes mei in mittendo eo conſilij exponã ſingulas: eſt liber Petri Martyris, quo uir ille doctiſsimus cum multas res in Theologia nondũ an-

tea

tea ſatis explicatas, tum uero inprimis illam difficilem & obſcurã quæſtionem, quæ eſt de Chriſti in ſacramẽto euchariſtiæ præſentia, omnem optimè explicauit. Nã cum ea de re tam uariæ ſint doctorum recentium, tamq; diſcrepantes ſententiæ, ut prouentibus doctrinæ euangelicæ magno impedimẽto fuerit ea diſſenſio, prudenterq; aliqui ſibi uiſi ſint à ueritatis cauſa totã, quaſi à re incerta ac nondũ ſatis explorate percepta atq; cognita aſſenſionem cohibuiſſe: hic remouendi offendiculi ſtudio ſuam de euchariſtia tractationem ita inſtituit, ut tres, quæ potiſsimæ eſſe uidebantur, opiniones argumẽtis in medium adductis ſane q̃ firmiſsimis diluat. Ac primũ quidem eam opinionem, qua naturę panis in naturam ac ſubſtantiam corporis Chriſti cõuerſio, quam appellant tranſſubſtantiationem, ſtatuitur, nõ tam abſurdum

quam impiũ dogma, confutat. Magno enim Turcis atq; infidelib. gentibus omnibus, quo minus ad fidem nostrã conuerterentur, impedimento semper fuit. Et ferũt quendam ex Turcis principem uirum, rogatum, qua de causa ipsi à ueritate nostræ fidei tantopere abhorrerẽt, dixisse: nõ posse se eius Dei, quem suo arbitratu modo faciant modo comedant homines, cultũ atq; adorationẽ approbare. Quis uero est, qui si uideat sacrificum manu humana factum panem sumere, & ubi sacras soléneſq; uoces dixerit, profiteri, se ui uerborũ illorũ, uti Christus omnibus adorandus ex pane fiat efficere, non ęquè atque Turcæ ab hoc religionis genere abhorreat? Quamobrem errorem hũc refellit Martyr, ac quæ quantæq; rationes ad illũ confirmandũ afferuntur, eas omnes refutat, ac demonstrat nullas esse. Hoc errore ad hunc mo-

modum remoto ac refutato ad eorũ opinionem transit, qui in eucharistia panis & uini substãtiam reliquã quidem esse & manere integram, sed cũ ea corpus & sanguinem Domini uere, & naturaliter, & ut ipsi solent dicere, realiter coniungi & commiscere docuerunt. Atq; huius quidẽ opinionis Martinum Lutherum authorem & patronũ fuisse ferunt. De quo cum mea causa, ne uidear in mortuũ quicquam dicere asperius, tum etiã propterea, quod eũ errorem Petrus Martyr omnem diligentissime refutauit, nolo in præsentia plura dicere. Duabus his opinionibus prorsus cõfutatis accedit ad tertiam, cuius authores & patroni statuũt symbola cũ rebus per solam ac nudã significationẽ sic cõiungi, ut præter signa inania nihil in eucharistia faciãt reliquum. Quam opinionem cõplures nostra ætate uiri docti confidenter quidem

sed imprudenter tamen Zuinglio tri
buerunt. Nam ut in hac sua de eucha
ristia tractatione Petrus Martyr scri-
bit, libri Zuinglij ab illo ipso editi, te
stes sunt locupletissimi, eũ, signa po-
nere in eucharistiæ sacramento mini
me uacua minimeq; inania. Ac quo-
niam nihil est tam impium tamq; in-
dignum hominis Christiani grauita-
te atq; constantia, quàm alicuius ho
minis authoritate adductum, aut fal
sum sentire, aut quod nõ satis explo-
ratum habeas sine ulla dubitatione
defendere: pręteritis eorum qui ista-
rum opinionum patroni uidebãtur
esse, nominibus, opiniones ipsas Pe-
trus censet, ac rationes quæ utrinq;
afferuntur, sic existimat, ut q neutri-
us in magistri uerba iurauerit, omní-
que huius aut illius factionis studio
uacauerit, quid uerum sit & scriptu-
ræ sacræ consentaneum, satis intelli-
gat. Ego uero qui librum hunc pri-

mũ quidem in Anglia excusum, hic autem à me cum rerum & uerborum indice locupletissimo iterum editũ ad te mitto, authoris exemplum imitatus, ne quid nimis de patronis dicerem, nihil uolui dicere, ac tantum ut uerè constaret quid de re proposita quisq; constituerit, depromptas ex eorum libris sententias sub finem huius epistolæ apposui. Qua ex causa ac ratione cũ conscriptæ atq; elaboratæ ab authore, tũ iterũ à me editæhui⁹ tractationis, oẽs, credo, intelligẽt, ueritatis studio neq; mihi neq; authori fuisse quicq̃ prius atque antiquius. ac ipsum quidem ut contro uersam rem tractaret exactius, Anglis librum hunc dedisse, me uero ut quem Angli penè soli haberẽt, eum ego Germanis etiã impertirem, iterum edidisse. Ac quoniã hoc uterq; propagãdę ueritatis studio fecimus, tibi certe id beneficium inprimis de-

beri arbitror, qui ueritatis cognoscẽ dæ gratia procul à patria adhuc iuue nis primum in Germaniam, ac deinceps in Galliam, deniq; etiam in Italiã profectus es, atq; ut eius fructibus liberius posses perfrui, in Germania tandem consedisti. In quo nõ solum Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, reliquorumq; doctorum hominum & sapientium, qui sapientiæ cõparandæ nomine in longinquas terras profecti sunt, uerum etiam, quod inprimis laudi ducitur, reginę Sabeorum & Pauli apostoli, qui & cognoscendæ & docendæ ueritatis gratia plenas periculorum simul ac molestiarũ peregrinationes confecerunt, exẽpla imitatus ac secutus es. Quod ego hic non alia de causa commemoro, quàm ut partim mei in te amoris causas exponam, partim tuo exemplo ociosos homines ad laborem & ueritatis indagãdæ studium extimu-

lẽ,

lẽ, partim etiam ut in tam præclaris tuis ſtudijs te confirmem, atq; admoneã, ut in illo optimo ac rectiſsimo, quod ingreſſus es, itinere ſtrenue & conſtanter progrediare. Quæ res mihi ad meũ inſtitutum proſequendum ſatis magnæ & graues cauſæ uidentur extitiſſe. Quis enim eſt qui ſi uirum bonum eundemq; multis uirtutibus preditum diligat, id ſibi non laudi duci poſtulet? Quis non iudicet utilẽ eſſe rectæ uitæ exemplorũ commendationem, præſertim in tãta malorum copia? Quis eũ qui Chriſti cultor ſit, non etiam ſi ipſe ultrò currat, incitandum tamẽ eſſe putet, ut ſuo ſe ipſe curſu ſuperet? Multa profecto q̃ habemus chariſsima, ut patriam, ut parentes, ut cognatos, ut opes & honores, fortiter interdum propter Chriſtũ relinquimus, quorum poſtea, ſi peregre degentes contemnimur, ſi parentum ſiue agnato-

rum consilijs atque auxilijs destituimur, si rerum necessariarum laboramus inopia, ut nos contemptorum atque abiectorum pœniteat, interdumq; in pristinum statum redeundi mala nos inuadat cupiditas, satan facit. Nec mirum est etiam constantissimos ac fortissimos homines in tantis aduersarum rerum & calamitatũ turbis & molestijs defatigari, & malorum sibi finem tãdem dari uelle, cum Christum ipsum inuictissimum regem nostrum tantus horror mortis inuaserit, ut angeli cœlitus demissi consolatione confirmandus atque erigendus fuerit. Quid Israëlitas commemorem primum quidem ad Aegyptum relinquendam promptos atque alacres, postea uero cum modo fames, modo sitis, & nonnunquam etiam hostes, quò minus ex locis desertis & incultis in terram promissam atq; exoptatam ingrederentur,

tur, eis obstarent, factos adeo ignauos atque desides, ut in Aegyptum redeundi consilium semel atque iterum ceperint? Quid uerbis opus est? nemo tam fortis est, quin eum aut primo aspectu rerum aduersarum, aut diu multumq; in malorum undis fluctuantem, tedium tandem inuadat atq; emergendi desiderium. Ego certe, ut qd̄ de me ipse sentio, quodque sępe mecum reputo, ingenue fatear, mihi de me nihil polliceor, sed de Christo tamē hoc certissime persuadeo, ipsum me, quando res postulauerit, sic corroboraturum esse, ut omnia potius quàm ipsum deseram. Ac si de eorum erga nos fide & beneuolentia dubium nobis esse nunquam potest, qui in nos benefici ac liberales semper extiterunt, profectò non minus pie & prudenter eorum, quæ Christus antea in nos contulit, donorum magnitudine, eius in nos

fidē & amorem metiemur. Quò fit, ut tu quoq; tibi de Christo, à quo bona maxima accepisti, fidenter polliceri debeas, eum tibi quacepit quaque solitus est hactenus, gratia semper affuturum esse. Id & si ego hæc eius in te donorum uidens initia, de te ipse mihi persuaserim, nósque omnes deceat de Christi in nos fide & amore spes semper confirmatas obtinere: tamen ut præclare est à D. Paulo scriptum, nostrum est mutuis nos adhortationibus subinde confirmare. Quod ego meæ summæ & propè singularis erga te beneuolentiæ conscientia fretus, penè feci liberius quàm oportuit. Sed quoniam id nō feci solum inflammandi tui causa, uerum etiam testificādi amoris mei: tu qui ipse es mei amātissimus quod ab homine tui amantissimo factum est in optimam partem accipies. Mihi quidem dubium non est quin ea

pares

pares, mediteris, cogites, quæ esse in eo uiro debent, qui sit cum ecclesia etiam afflicta, & penè oppressa miseris temporibus, ac perditis moribus, Christi fidem obfirmato semper animo professurus. Verum ut eò nostra redeat unde est incepta oratio, quia tua in me multa ac magna beneficia extiterunt, estq; hominis Christiani in inimicos etiã beneuolum ac propensum esse, ne tu, qui summus amicus es, tua beneficia perdidisse potiꝰ quàm seminasse uideare, hoc munusculo, exiguo quidem illo, si me, qui tantum in eo rursus excudendo parũ elaboraui, respicias, sed magno tamen & precioso, si authoris doctrinam & grauitatem spectes, te nobis ex thermis saluum redditum excipere uolui. Id si tu, quod te pro tua summa humanitate facturum esse credo, benigno animo accipies, hoc certe consecutus ero, ut intelli-

gam meũ munus tantum, quantum mittens confidebam, apud te põdus habuisse. Vale. Datæ Tiguro, Heluetiorum metropoli. VI. idus Octobr. anno ab orbe redempt. *M. D. LII.*



R.mo DOMINO, D. THOMAE CRANMERO ARCHIEpiscopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primati, Domino ſuo colendiſsimo P. MARTYR Vermilius Florentinus Theologiæ profeſſor. S. D.

CONSVEVERVNT ORnatiſsime Antiſtes, more publico & vetuſtiſsimo, qui libros ædunt, ſibi deligere principes in Repub. viros, quorum auguſto celebríque nomini eos inſcribant, atque ex ea re, commodum varium, multiplicémque fructum capiunt. Primum aduerſus calumniatores & ſycophantas, firmum validúmque defenſorem (ut arbitrantur) ſibi comparant: Deinde cum ab eius ordinis viris beneficia plura in ſe collata recolant, hoc officij genere (cum aliter non poſſint declarare) conantur, quam gratum & memorem animum erga illos habeant. Solent præterea in

epistola, quam nuncupatoriam uocant, non solum patronum sui libri cumulatißimis laudibus celebrare, verumetiam quod tractandum susceperunt argumentum, pro viribus ornant, eius dignitatem, vtilitatémque luculenter exponunt. Nec non quædam inserunt, quæ ad id elucidandum atque commendandum plurimum valere iudicauerint, quo à cupidis bonarum doctrinarum auidius legatur, & rudiores, quod est dicendum, facilius intelligant, Possunt ad hæc (fateor) qui æduntur libri, magnatibus illustribusq; viris ob alias complures causas dedicari, sed honestiores ego recensui, & quibus ipse permoueri debui, ut Reuerendißimæ amplitudini tuæ, meum hunc librum, qualis qualis est, offerrem. Quem enim potuissem alium abs te, mihi deligere propugnatorem veritatis Euangelicæ, et huius Eucharistici sacramenti, qui te sanctior, doctior, & firmior esset? certe neminem. Nam in patrono alicuius causæ, id cum primis requiritur, vt eam quam defendendam suscepit, & bene perceptam,

ceptam, & singulariter exploratam habeat. Quomodo alioquin id quispiam tueatur, quod minime intelligit? Deinde ars, industria, et ratio agẽdi exigitur, sine quib. interdũ vel optimis causis cadere solemus. Tãdem res postulat, vt patronus & summam fidem, & egregiam voluntatem habeat erga ea, pro quorum defensione ad illum confugitur. Quandoquidem id nunquam fœliciter perficimus, quod vel inuito, vel parum propenso animo aggredimur. At controuersiæ huius tantam peritiam habere Tuam Celsitudinem, certo scio, quantam in ullo alio difficile quis reperiat. Nullus profectò est ex patribus, quem non diligentissime obseruaris. Neque veterum aut recentiorum libri vlli extant, in quibus ego hisce oculis non viderim tua ipsius manu adnotatum, quicquid ad vniuersam hanc disputationẽ pertinet. Concilia, canones, pontificũ decreta, quæ huc spectant, ipse tanto labore, quo ad hanc tractationem, in præcipua capita digessisti, vt hæc nisi testis oculatus deprehendissem,

nunquam alijs narrantibuss facile fuiſ-
ſem crediturus. Neq; huius generis operam,
ſtudium, laboremq; ſolũ in hoc Euchariſtico
negocio impendiſti, verum idem quoque abs
te factum obſeruaui, quo ad omnia ferè alia
dogmata, quæ noſtra hac ætate maximè
ſunt in controuerſia. Quamobrem non opus
fuit, vt meum hunc libellum eo conſilio ti-
bi exhiberem, ut ex eo aliquid noui cognoſce
res (cum ego potius maiorem doctrinæ par-
tem ex tuis laboribus hauſerim) ſed tantum
ob id ad Tuam Celſitudinem hoc meum ſcri
ptum deſtinaui, quo tua cenſura (cum iure
& merito ſis Primas totius Angliæ) de illo
ſtatueres, notaréſque in eo, quicquid à recto
& orthodoxo ſenſu viſum fuerit diſſentire.
Vtq; authoritate tua (quæ veluti eſt, ita
ſummo loco haberi debet) ea protegeres, tue
reris, atque defenderes, quæ iudicaueris diui
nis literis conſona, & cum Regiæ Maieſta-
tis edictis pulchre conuenire. Taceo præterea
multa, propter quæ in iſta cauſa, non mino-
ri (quam tuum ſit) patrocinio mihi opus

fue-

fuerit. Negotium itaque (ut dixi) probe tenes. Ars etiam, ratio & industria tuendi quæ amplecteris, nequaquam Tuam Celsitudinem deficit. Quod inde possumus edoceri, quia sæpius cum aduersarijs & publice & priuatim es conflictatus, & mira vi doctrinæ, ingenij acrimonia, & agendi dexteritate, quæ vera esse cognoueras, à sophistarum spinosis & intricatis cauillis, asseruisti. Quã vero non desit voluntas, imo præsentissimũ animum habeas ad tuenda sana & Christiana dogmata, omnes pij satis intelligunt, qui tanto studio religionis instaurandæ te flagrare viderunt, vt hac vna de causa grauissimas inimicitias susceperis, multa commoda huius vitæ neglexeris, & horribilia pericula subieris. Equidem dum hæc mecum repeterem, meq; viderem opera fortissimi alicuius ὑπερασπιστοῦ egere, ad tui nominis authoritatem confugi, sub qua protegerer ab his, qui nullum videntur finem facturi detrahendi, lacerandi, & nomen meum vbiq; mendacijs impudentissimis traducendi. Nun

quam ego existimassem fore aliquos, nisi reipsa deprehendissem, qui tam subdolis astutijs, fraudulentis artibus, & amaris flagellis in hominem seuirent atque grassarentur, nihil mali de se vnquam meritum, quique dicto vel facto laeserit eorum neminem. Sed caueat sibi lingua istorum maledica, quoniam aduersus eam (ut in psalmo legitur) paratae habentur sagittae potentis, & quidem acutissimae, vna cum carbonibus ex incenso iunipero. Vt enim virulenta lingua innoxios acerbe flagellat, sic illa diuini iudicij spiculis tandem perfodietur & lacerabitur. Vtq; omnia dolosis uerbis inflammare ac incendere conatur, ita flammis aeternis demum comburetur. Habes iam amplissime Praesul, quid me primum permouerit, vt hoc meum tenue scriptum Celsitudini Tuae inscribere decreuerim. Quare nunc alteram causam huius mei consilij prodam, qua, vt alij (vsuti ab initio dixeram) inducti sunt, vt suos libros eximijs viris dedicarent, ita ego sum persuasus, vt meum hunc laborem tibi offerrem.

rem. Ea verò est benignitas tua & humanitas, merita & beneficia quibus me affecisti, pro quibus si velim iuste gratias agere, eaq; vt merentur ornare, & mihi nil præterea dicendum erit, & quantumuis ista prædicauero, magnitudine rei semper vincetur oratio. Idcirco de his potius nihil, quam indigne ac tenuiter dicere statui. Notum est iam omnibus, non solum me, verum permultos alios mei ordinis peregrinos, quàm humaniter exceperis, et exceptos quam benigne tractaueris, ideò hæc, ut probe cognita, ulterius prosequi desino. De tua item pietate, prudentia, fide, summísque virtutibus, optime intelligo non expectari ab hoc regno meum testimoniũ, cum sint omnibus testatißimæ. Plato de Isocrate dixit, ἡ τοῦ φύσιν τοῦ δὲ τ' ἀνδρὸς τῇ διανοίᾳ φιλοσοφία τίς πάρεστι. Iudicauit itaq; Isocrati philosophiam (quæ doctrina et studio acquiri solet) ex natura prouenisse. Ego vero Celsitudinem Tuam, & gratia et fauore Christi adeo ornatam animaduerti, ut licet omnes natura simus filij iræ,

ſicut cæteri, tibi nihilominus pietas, theologia, cæteræq; virtutes connatæ inſitæq; naturaliter videri poſſint, adeò altas in tuo animo radices egerunt. Quare optaui ſæpius, & mihi à Deo pro magno beneficio dari velim, vt quantum teneor, tantum erga Tuam Celſitudinem gratum animũ habeam, & ad tuas virtutes (quas vt dona Dei in te admiror) valeam quam proxime accedere. De his non plura, quanquam & voluntas hinc moleſte auellatur, & rei dignitas maxima vi ſtilum ad ſe reuocet. Sed auribus tuis potius parcendum eſt, quam his obſequendum, à quibus pené cogor diutius tuas laudes celebrare. Scio enim quam nil difficilius ferre poſſis, atque de tuis ornamentis virtutibuſque audire. Ideo, quia tutius in eo verſabor, de argumento quod ſuſcepi tractandum, poſtremo loco tecum aliquanto prolixius agã: Ibi enim minus periculi erit, ne te offendam, licet breuitate ſemper utendum eſſe apud Tuam Celſitudinem exiſtimauerim, ut occupationum multiplicium & variarum, quibus

bus distineris, & quo ad Rempublicam, & quo ad Ecclesiam, ratio habeatur. Paucis itaque nonnulla decreui explicare, quæ si reticuissem, imprudens, nouator, audax, temerarius aut minus pius haberi forte possem, quasi sacramento Eucharistiæ honorem dignitatemq; suam ademerim, vel sacram cœnam ecclesiæ sine Christo voluerim obtrudere, vel alia huius generis persuadere, quæ ad impietatem, vel negligentiam religionis conducant. Malim potius aut mori, aut nihil esse, aut extrema quæq; pati, quam dogmata eius generis disseminare. Equidem in primis tantum huic sacramento attribuo, ut statuã Christifideles id vsurpando, summa beneficia consequi, quæ à Deo in hac vita sperari possint, modo ipsi aut vitijs, aut infidelitate non obstent. Tria vero nunc esse constituo bonorum capita, quæ homines vehementer expetant. Primum, vt vita quam nascendo acceperunt, sibi quàm diutissime prorogetur & conseruetur. Vellent ad hæc habere Deum sibi placatum atque propiti-

um, nam cum intelligant qui ſapiunt, nunquam ſe vacare culpa, & noxæ cuilibet certam diuinitus pœnam deberi, niſi expiationem in promptu eámque certam habeant, miſerrime viuunt. Poſtremo id prudentes optant, vt inter ſeſe, iuſte, commode, iucunde, ac tranquille agant, ſine his enim & calamitoſe & infœliciſſimè viuitur. Hæc ſunt in ſumma, quæ vbiq; ab omnibus, qui non deſipiunt, cum primis deſyderantur. Caput vero, præcipuúmque horum trium, vt ſcilicet vita quam longiſſime protrahatur, quã vtili ſalubríque cibo conſequimur, id nos in ſacra cœna obtinere certiſſimum eſt, vbi quemadmodum panis & vinum (quæ corpus alunt) communicantibus externe porriguntur, ita vere datur eorum animis, vt corpore & ſanguine Chriſti (quæ in noſtrã data ſunt redemptionem) per fidem veſcantur, vnde totus homo noſter, cum interior, tum exterior, ad ſummam fœlicitatem inſtauretur. Et hæc eſt vnica ratio mãducandi corpus & bibendi ſanguinem Domini,

quam

quam ſcriptura ſancta & probat et nouit, quando nimirum fide conſtanti & firma apprehendimus Ieſum filium Dei ſeruatorem & dominum noſtrum, in crucem dediſſe ſuum corpus, & ſanguinem ſuum pro nobis effudiſſe, ſeq; nos ſibi donatos à patre, ita eſſe complexum, ſibiq; cõiunxiſſe atque incorporaſſe, vt caput ſit noſtrum, nos eius membra, & caro de carne eius, os de oſſibus eius, maneátque & viuat in nobis, & nos in ipſo. In hoc tota cibi huius potusq; vis & ratio ſita eſt, ad quam fides noſtra triplici verbo excitatur & accenditur, quandoque interiori, dum videlicet, ſpiritus ſanctus occulta, ſed potenti vi, animos incitat ad hæc nobiſcum repetenda, & viua promptáque fide, complectenda: ad hoc idem ope ſermonis Dei (nos extrinſecus percellentis vel ſono vel ſcripto) nonnunquam impellimur, denique, vt non deſint infirmitati noſtræ adminicula, Chriſtus panem & vinum pro ſymbolis adiecit in cœna, quæ per inſtitutũ et

verba eius efficiuntur sacramenta, id est, organa, quibus in mentibus nostris fidem spiritus sanctus excitat, vt per illam corpore et sanguine ipsius spiritualiter, sed tamen vere, alamur et substentemur. Quid igitur hoc cibi genere magis potest fidelibus ad vitã cõducere? Nonne ista manducatione manemus in Christo, et Christus in nobis? An expressius nobis promitti requirimus tantũ bonum, quam cum ipsemet dixit: Qui manducat me, propter me viuet? Porrò in Ioã. 6. docuit dominus hãc simplicẽ, nudã, verã tamen, id est non conflictã sui corporis manducationẽ, suíque sanguinis potum, quæ postea verbi externi adminiculo, nec non sensu panis & vini, cum ad sacram mensam accedimus, voluit idem Dominus ut adiuuaretur. Quamobrem qui vitæ diuinæ (æternæ inquam & fœliciſsimæ) non est contemptor, quomodo Eucharistiam non maximi faciet? Quomodo non eam, ut dulce suæ salutis pignus, non exosculabitur? Quomodo non eam in cœtu sanctorum non tam frequenter quam data

fuerit,

fuerit, vsurpabit? Certe nullus, qui hæc secum paulò diligentius expenderit. Post vitam autem, quam in primis vniuersi appetunt, vt ea non degatur infœlix, cupiunt pleríque omnes, numen diuinum habere placatum, veluti prius commemoraui: Qua de re si persuasi non simus, diuexat animus, perturbant cogitata, flagellat conscientia, terrefaciunt creaturæ, vt vltrices & seueríssimæ Dei vindices, nil in nobis, nil extra nos pacatum tranquillúmue habemus, cœlum & infernum ex æquo timemus, Diabolum & Deum pari odio prosequimur: Nam illum vt carnificem, hũc vero vt iudicem exhorremus. Adsunt itaq; nobis sacræ literæ, docéntque non alia ratione placatum esse nostro generi cœlestem patrem, quam vnigeniti filij eius victima, per quam Deus fœdus æternum cum suis inijt, peccata ignouit, credentes in filios adoptauit, primogenito suo donauit saluandos & incorporauit, atque hæredes cœlestis regni instituit. In perceptione autem Eucharistici sacramenti, mortis

Domini nostri, ac totius mysterij nostræ redemptionis per incarnatum Dei verbum memoria refricatur, testamenti Dei mentio repetitur, & per Christi sacrificium in ara crucis oblatum, beata Christi communio, et remissio peccatorum offertur. Quare in hoc sacramento, si rite & cum fide perceptum fuerit, non quidem vi operis, verum Christi gratuito beneficio, quod credendo apprehendimus, fatemur peccata ignosci, testamentum siue fœdus inter nos & Deum confirmari, ipsumq; filium Dei vitam habentem in semetipso propter patrem, sic percipi, vt quicunque vera fide communicant eius carne & sanguine, viuant propter ipsum, & hæreditatem cœlestem à fidelibus pro ratione huius vitæ adiri. Proinde hic non solum vitam, sed vitam ab ira Dei tutam atque tranquillam nobis vendicamus. Quíque Deum propitium atque fauentem, & filium Dei manentem in nobis habemus, quo gaudio, quibus delitijs, quo voluptatum honesto genere destituimur? profecto

nullo,

nullo, si vera & solida, non autem spectra & vmbras persequamur. Et huius commodi fecit mentionem Christus hoc sacramentum instituendo, cum daret corpus & sanguinem suum fide manducandum & bibendum, nimirũ ad vitã fide substinendam & alendam: nam inquit apud Lucam, Hoc facite in mei recordationem: quod Paulus magis explicauit, scribendo, Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & biberitis de hoc poculo, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Deinde ab vtroque, Luca videlicet & Paulo, ad calicem dicitur: Hoc poculum nouum testamentum est per meum sanguinem, qui pro vobis effunditur. Idcirco quo ad reconciliationem cũ Deo, remissionem peccatorum, & testamenti cõfirmationem, nihil ipse finxi, nil cõmentus sum, nil adinueni, quod ex sacris literis non deprompserim. Postremo, quoniam homo non est ad solitudinem factus, verum socialis ciuilisque vitæ appetens, ideò cum iam statuit se per Christum numen diuinũ habere

propitium, ac per eundem condonata sibi esse peccata, nil vlterius ad eius perfectam absolutámque vitam requiritur, quamdiu hic viuitur, nisi vt cum alijs hominibus, qui appellantur in diuinis literis proximi, coniuncte, summaq; cum iustitia & charitate, degat. At istud sacramentum efficacissime ac vehemẽter nos huius admonet. Dũ enim efficimur in mysterijs ὁμοσώμοι, quid aliud mente agitare debemus, quam nos esse vnũ corpus? quam nos esse sub Christo capite inuicem membra? quam nos esse vnum panem? id est, ita inter nos coniungi, vt infinita ferè tritici grana, in illum panem quem sumimus, coaluerunt, Certe lapidei sunt et ferrei, qui ad coniunctionem & charitatem inter fratres colendam, his monitis non permouentur, tygridibus quoque, immanissimisq; bestijs efferatiores censebuntur, qui cum filium Dei pro inimicis vitam posuisse animaduertant, non adducantur ipsi, ut fratribus & proximis suis, pro quibus Christus mortuus est, pro viribus benefaciant. Conciliat

ho-

homines inter se mensa prophana, quando illam eandem habent, cur id non magis efficiat mensa Christi? Cum cibo ferae sauissimae cicurentur, cur homines his diuinis alimentis non mansuescant? Si foedera & pacta cibo, potúque firmari consueuerunt, cur gratiam amicitiámque inter se communicando, filij Dei non constabiliant? Horum procul dubio admonentur hoc diuino ritu, & scripturarum sanctarum verbis quae in eo recitantur. Quod si admonitio (vt duri sumus, & ad iusta, honesta & sancta plus, quam inepti) parum aut non satis momenti existimetur habere: modo fides non desit, per sacramenta & verba Domini, spiritus sancti vis cordibus nostris adiungitur, quae ad concordiam, pacem, & charitatem mutuam semper extimulat, ita vt non solum externa monitio adhibeatur, verũ animi quoque, dum vnà communicamus, intus calcaria diuini afflatus experiantur. Quamobrem vides amplissime Praesul, quae insignia & eximia bona ego doceam nobis per Eu-

charistiam concedi. Eant modo μαρτυρομάρτυρες, & clamitent quantum volunt, me sacramentum cœnæ Domini violare. In medium ipsi prodeant, & ostendant suis transubstantiationibus, portentis atq; τερατολογίαις, quid amplius quam ego statuerim) solida fructus & iustæ commoditatis ex hoc sacramento, vel communicantibus, vel ecclesijs attulerint: Commemorabunt manendi in Christo, & vt Christus in nobis maneat, beneficium? Ego quoque illud statuo. Commemorabunt vitæ diuinæ cœlestis atq; beatæ consequutionem? Ego etiam illam pono. Commemorabunt perceptionem corporis & sanguinis Christi? Ego non minus quam ipsi eam astruo, sed quæ fide ac animo habeatur. Obijcient ne remissionem peccatorum? testamentum confirmari? memoriam crucis & mortis Christi fieri? Non arbitror, quandoquidem vniuersa hæc ego pleno auditorio crebro docui. Opponent ne incorporationem (vt ita loquar) quam cum CHRISTO, & inter nos qui sumus

mus eius membra, communicamus per fidem assequimur? Nequaquam, istud enim & à me perpetuo inculcatur. Quid igitur proferent, cum in sacris literis nil præterea de Eucharistiæ Sacramento prodatur? Scio iam quid sint dicturi: Transubstantiationem aufers, præsentiam corporalem, carnalem, realem, atque substantialem tollis, hoc nos male habet, hoc, amplius quam tu posueris, nos asserimus, hoc abs te dissentimus. Audio, & de transubstantiatione, tum quia res est inepta, tum ideo quod plus satis in ea & in Disputationibus, et in Tractatione quæ illis præfixa est, egi, in præsentia nihil respondere statui. Verũ de corpore Christi quod me negare præsens esse, tantopere quiritamini, volo nonnulla satisfactionis causa proloqui. Si vos rogarem, quorsum ponenda sit huiusmodi, quam ipsi fingitis, præsentia, non aliud (quantum arbitror) mihi respondebitis, quam vt corpus CHRISTI & sanguis nobis coniungatur. Sed cum istius coniunctionis totũ opus cœleste

ac spirituale, ad hoc vt locum habeat, præsentia hæc vestra, pro qua tantopere pugnatis, minime requiritur. Quid hic, aut vllo contactu physico, aut locorum propinquitate, opus est? Quæso vos mihi dicite, cum sacræ literæ prædicant, non solum nos Christo copulari, verumetiam cum fratribus esse in uicem membra, ita vt simul vnum corpus efficiamur: nonne fatebimini eos fideles qui sunt in Hispania, Italia, Germania, et Gallia, nobis coniunctos ita esse, vt sint nobiscum (quemadmodum Paulus dicit) inuicem membra? Scio non negabitis. Quod si istam vnitatem, qua per Christum in vnum connectimur, locorum interstitium & contactus physicus (qui nullus esse potest) nihil impediunt, cur absq; reali præsentia & corporali, negatis Christo nos vere coniungi? quod si non negatis, quare istam præsentiam tam importune vrgetis. Vtq; planiori simili magisque expresso adhuc vtar: Vir et vxor in sacris literis (vt scitis) vna caro & sunt & dicuntur. Nam inquit Adamus (vel per Ada-

Adamum) Deus, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt in carnem vnam. Atq; adeò proprium est hoc simile rei quam tractamus, vt Paulus ad Ephesios, ita corpus Christi ecclesiam faciat, vti vxor est os & caro viri. Et tamen istam carnis vnitatem inter coniuges, nihil impedit, si (vt fit) vir interdum Londini fuerit ad aliquod tempus, & vxor Cantabrigiæ vel Oxonij manserit. Loci distantia, & naturalis contactus, qui tunc haberi nō potest, minime conuincit vxorem & virum inter sese, vnam eandémque carnem non esse. Idcirco non est, quod vnitatis caussa cum Christo ineundæ, adeò conemini corpus & sanguinem eius, aut pani aut vino alligare, vel (vt dicitis) sub speciebus panis & vini operire. Sine his portentis vere Christo adiungimur, sine his figmentis Eucharistia est integrum perfectumque sacramentum, & sine his prestigijs non minus

vera sunt CHRISTI verba, quibus dixit: Hoc est corpus meum, cum panem Apostolis porrigeret, vt in libro fusius declarabitur. Itaque ad hæc omnia stabilienda & confirmanda, corporali vel substantiali corporis Christi præsentia Ecclesia minime indiget. Nolim existimari tamen propter similia quæ induxi, coniunctionem quam habemus et inimus quotidie cum Christo leuem ducere, aut nimis extenuare, nam probe scio, scripturas vt illam quàm arctissimam demonstrarent, non solum consueuisse prædicare nos esse spiritu, merito, & intercessione Iesu donatos, eiusq; afflatu & spiritu, cũ agi, tum viuere, sed etiã illum ipsum esse nobiscũ, per fidem in cordibus nostris habitare, caput nostrũ esse, eumq; in nobis, & nos in ipso manere, in eo nos renasci, carnémque eius & dari & accipi, vt manducetur atque bibatur. Verum locutiones huius generis intelligo metaphoricas esse, nam sermones de his rebus non tam facile habentur proprij, siquidem voces, vt vel hoc vel illud si

gnifi-

gnificent, ad humanum institutum sunt definitæ. Quare ad cœlestia & diuina cum peruenitur, animalis homo, qui tanta arcana non intellexit ea nec nominare quidem potest. Vnde spiritus sanctus, quo nostræ infirmitati consuleret, cum lumen & sensum, quæ nostram naturam superent, concesserit, ad has quoq; metaphoras se demisit: Videlicet habitandi, manendi, comedendi atq; bibendi, vt nobis hæc diuina & cœlestis cõiunctio quam habemus cum Christo, quocunque modo innotesceret. Has autem loquendi formas, cum duo videamus in se complecti, summam nimirũ efficaciã, significationẽ vero non propriã, sed translatam, necessarium est, vt eas non temere, sed prudenti spiritualiq; cautione interpretemur. Quæ tũc adhibetur, si earũ sensum, potissimum quando ad sacramenta applicãtur, nõ plus æquo extenuemus, neq; illi nimiũ quã par sit, attribuamus. Hyperbolæ patrum, et Anabaptistarũ contẽptio, Sacramenta (et hoc potissmũ de quo

agimus) mirũ in modum obfuscarunt, dum isti tesseram tantum mutuæ charitatis, & mortis Christi frigidum tenuéque signum hic esse decernunt, illi vero nil penè reliquũ faciunt diuinarum rerum, quod isti sacramento non attribuant, quo imprudentes ad horrendam idololatriam, gradum fecerunt. Neque poterit aliter hæc mediocritas quam cupimus, retineri, nisi commemoratas phrases ad analogiam, siue conuenientiam sacrarum literarum interpretemur. Quæ tametsi requirit, vt Christi vnitatem (quemadmodum dicunt) hypostaticam nõ distrahamus, propter quam naturarum proprietates (diuinitatis inquam & humanitatis) vtrinq; communicantur, attamen eadem à nobis efflagitat, vt quod per alternationem ἀντιδόσεως communicauimus, interpretando sana intelligentia distinguamus, quo & diuinitas humanis infirmitatibus non subdatur, & humanitas vsque adeo non deificetur, vt relictis naturæ suæ terminis, destruatur. Discernendum itaq; est spirituali prudentia,

non

non aliunde quam ex diuinis literis comparata, quid Christo iuxta vnam naturam, quidue iuxta alteram conueniat. Itaque præsentia corporis Christi, quam ego ab Eucharistia remoueo, est, qua vel vbique diffundi, vel in multis locis esse pro eodem tempore statuitur, ita vt quantitatem & circumscriptionem, quæ propria & necessaria est humano corpore exuat. Vnde si quis per præsentiam, fidei nostræ perceptionem intelligat, qua ipsi ascendimus in cœlum, & Christum in sua maiestate gloriáque, & mente & spiritu amplectimur, cum illo facile consentiam. Ab illorum vero sententia maxime abhorreo, qui corpus clausum & opertum in pane & vino, & vel vt contendunt sub harum rerum speciebus asserunt, idq; vt ipsum ibi colant, adorent, & in summa, idolum erectum habeant. Hoc est caput, & fons totius contentionis, in hoc potissimum situs est totius præsentis controuersiæ status, de quo si non bene, pure, & clare decernatur, semper habebunt aduersa-

rij, quo superstitiones ac idololatrias (quas Ecclesiæ obtrudunt) specie aliqua pingãt, colore ornent, & sophisticis captionibus defendant. Vtque paucis totum complectar, duo hæc enixe contendo. Vnum, hoc sacramentum cœnæ diuinæ præter vsum nihil esse. Quod vt verum sit, cætera sacramenta fidem faciunt. Alterum est, quod etiam dum illo vtimur, corpus CHRISTI & sanguinem sola fide tenemus. Quíque secus docent, & quæ ipsi non intelligunt, neque ab alijs intelliguntur, dicunt, & in huiusmodi obscura atque inextricabilia, sese scripturis non cogentibus, vltro conijciunt. Et sententiæ quam dixi, hæc est basis, robur, & fundamentum, quod proprium est suúmque diuinæ naturæ, vt sit vbíque per substantiam, & omnia impleat: è diuerso autem, hæc humanæ naturæ sors est atque conditio, vt definitio locv & mensuris & spatijs contineatur, neque ad multa vel ad omnia loca sese pro eodem tempore diffundat. Hoc sensus ita esse testatur, humana ra

o tio

tio confirmat, & nulla scriptura diuina vn quam aliter facta esse probat. Hoc Patres non semel protulerunt, hoc etiam si inuertatur, secusq; (vt à multis fit) doceatur, nulla commoditas importabitur, quam eandem non habeamus, dum nostræ, id est modo expositæ sententiæ, inhæremus. Proinde hi qui aduersum me clamitant, quod cœnam Domini sine Christo, hoc est absque illius corpore & sanguine habere doceam, hoc sibi responsum habeant: si præsentiam corporis Christi velint, eius apprehensionem per fidem, quæ nobis verborum & symbolorum significatione offertur, & beneficio Domini exhibetur, eam (vt iam dixi) libens & volens admitto. Nam quemadmodũ lux, color, sonus (et id genus) licet loca remota sint, nostris attamẽ sensibus dicuntur præsentia, dum illa percipiunt, ita poterit, iuxta hãc significationẽ præsentia corpus Christi dici adesse, eo quod ipsum fide complectamur. Et recto sanóque iudicio si res decernenda sit pro exposita ratione,

corpus Christi dicetur longe magis credentibus adesse, ac illæ qualitates, quæ loco distant, & nihilominus percepta sensibus, præsentia esse dicuntur, quandoquidem fidei arctior est complexus & multo firmius rebus creditis hæremus, quam sensus aut ratio his que naturali sua facultate comprehendunt. Et de hac præsentia corporis Christi videri possem tam satis aperte, quod sentiam expressisse, nisi animaduerterem posse Celsitudinem Tuam fortassis admirari (vt est emunctæ iudicij, & amans puræ, simplicisq; locutionis, potissimum in re theologica cur ego in quæstionibus harum disputationum, voces realiter, substantialiter, corporaliter & carnaliter, vsurparim, cum exoticæ sint, & à phrasi diuinæ scripturæ prorsus aliena. Istud idem Reuer. Antistes, ego quoque sensi, & meo arbitratu si mihi permissum fuisset vt loquerer, ab his vocibus vt peregrinis, addas etiam barbaris & ambiguis, omnino abstinuissem. Cæterum ad illas partim receptus in scholis vsus, partim

ad-

uersariorum importunitas me impulit, qui me quo (vt arbitrabantur) euidentius medium tenerent, & quasi euertentem funditus Eucharistiæ sacramentum, magis apud plebem rudioresque sacrificos traducerent, his crassioribus verbis præsentiam Christi sub speciebus (vt dicunt) panis & vini, tũ ipsi vehementer affirmabant, tum è diuerso me illam hæreticissime negare, quanta cum efficacia poterant, inuulgabant. Hic interdum, qui meæ sententiæ atque doctrinæ fauebant, suscipiebant (cum adesset forte fortuna) eam tuendam, & quia conflictus inter eos & aduersarios nostros his eisdem vocibus frequentissime intercesserát, Idem me sæpius rogarunt, vt de corporis Christi præsentia, iuxta harũ vocum significationes, dicerem semel expedite quãque apertissime, quomodo statuendum iudicarem. Hinc sane contigit, vt in scholis nõnunquam his aduerbijs vsus fuerim. Scholasticos itaque Theologos, hi flosculi pri-

mos habent authores, illis enim verba ista (licet barbara) idonea visa sunt, & quam commodissima ad res ἐμφατικώτερον exprimendas. Verum ne hic ambiguitate laboremus, quomodo ego ista accipiam, operæ pretium fuerit explicare. Quando Christi corpus realiter, substantialiter, corporaliter, et carnaliter adesse nego, propterea non est inferendum, nos ficte, simulate, aut phantastice corpus Christi comedere. Nam si per has voces rei veritatem intelligant, non inficiabor corpus Christi vere à nobis percipi, quod enim fide comprehendimus, non falsum, non fictum, non simulatum, neq; phantasticum haberi debet. Alioquin mors & resurrectio CHRISTI, quæ credimus, cum præterierint & præsentia non adsint, ficta essent & phantastica, atque veteres qui CHRISTVM percipiebant, habuerúntque nobiscum eundem potum & cibum spiritualem, cum eius corpus & sanguinem, quæ comedebant & bibe-

bibebant fide, præsentia realiter & corporaliter non possent habere (nondum enim filius Dei ea assumpserat) dicerentur ficte, phantastice, & simulate hæc habuisse, quod absurdissimum esset: Quandoquidem fides nil est aliud, quam vis & facultas quædam nostris animis diuinitus concessa, qua rebus verissimis atque firmissimis assentimur. Idcirco non potest, vel ficta vel simulata complecti. At si per istas particulas contendant (vt re vera contendunt) corpus Christi simul & eodem tempore in multis diuersisq; locis esse atque diffundi, huic sensui ego resisto, hic ego pugno, hæc putent qui legunt, me negare. Addo etiã his verbis corporaliter et carnaliter, sane iudicãtibus, perceptionẽ sensuum referri: Ideo cum Christi corpus, nec sensu, nec ratione capiatur, ea liberius repudio. Atq; hinc accidit, vt cum inter me & aduersarios de quæstionibus transigendum esset, duo hæc duntaxat, corporaliter et carnaliter obtuli,

quibus modis negabam, corpus & sanguinem Christi adesse, non quod eis, aut volēs, aut libens vterer, sed quod ea vsurpare, vti exposui, coactus fuerim. Imò postremò cum disputandum esse, iamque oporteret quæstiones exprimere, veriti Antagonistæ, ne suffugium aut stropham in aduerbijs his, corporaliter & carnaliter, occultarem, quo res (vt putabant) magis perspicue proponeretur, alia duo, realiter & substantialiter, voluerunt adiecta. Quicquid itaque hac parte peccatum est, non mea voluntate, sed aliorum vitio est admissum, huiusque rei testem habeo Reuerend. D. Doctorem Coxum Regiæ Maiestatis institutorem & Oxonienſis vniuersitatis dignissimum Præsidem, de cuius prudentia, doctrina, & pietate, nunc non est dicendi locis, quæ tamen per seipsa in eo sic perspicua sunt, vt longe latéque, id est, & in schola, & in Ecclesia, & in aula resplendeant. Is dum aduersarij mei de quæstionibus, ita (vt dixi) cauillarentur, non solum interfuit, verum

ob

ob magistratum quem ibi gerit, toti negotio præfuit. Cognouerunt quoque id ipsum Reuerendissimi Domini Visitatores, viri et clarissimi & omni virtutum genere ornatissimi, coram quibus egerunt semel aduersarij mecum, & satis contentiose, de propositarum quæstionum quam suspicabantur ambiguitate, neq; inter nos alia ratione cõuenire potuit, nisi me recepissem, corporaliter. & carnaliter, pro eodem habiturum, atque si dictum esset, realiter atque substantialiter Super hac re prolixius ad Reuerend. D. T. scribere volui, quod multos offendendos his vocibus facile suspicer, cum iam aliquos, eósque pietate ac eruditione insignes, non libenter eas audiuisse animaduerterim. Qui forte mihi nunc erunt æquiores, cum intellexerint, & cur ista vsurparim, & qua significatione vel affirmem vel negem corpus & sanguinem Domini sacra cœna adesse. Idq; vt rursus quam paucissimis patefaciam. Hæc nobis vere dari & offerri asserõ cum verbis tum symbolis, dum potenter &

efficaciſſime per iſta ſignificantur. Atque viciſſim, communicando, nos eadem vere accipimus, quando quæ verborum & ſymbolorum ſignificatione porriguntur, pleno ſolidóque fidei aſſenſu complectimur. Vnde fit vt cum Chriſto quam arctiſſime iungamur, quémque in baptiſmo, regenerationis beneficio adepti ſumus, eundem in nos rurſus magis ac magis per ſacramentum cibi traïjcimus, quandoquidem natura comparatum eſt, vt ïjſdem alamur, quibus conſiſtimus. Et ſi ſalui eſſe volumus, tamdiu curare debemus, vt CHRISTVS in nobis maneat, & nos in eo, quoad toti conuertamur in ipſum, & ita conuertamur, vt nihil noſtri, connatæ inquam mortis, corruptionis atque peccati, reliquum fiat. Tandem id ſupereſt Ampliſſime Præſul, vt duo vitia deprecer, in quæ libere fateor me ſcribendo incidiſſe. Vnum eſt, quod interdum occurret in meo libro, idem bis térue repetitum, quod porrò acutis & eruditis hominibus permoleſtum eſſe conſueuit, qui

vel

vel non moniti, per se ipsos multa vident, & omnia sibi exponi superfluum ducunt, nedum æquo animo patiantur subinde eadem inculcari. Attamen cogitandum, quod hæc, & si pariant eruditis fastidium, nihilominus quandoque repetitio atque congeminatio eorundem, vtilitate non caret. Etenim hac tam infœlici tempestate, hæsit ita profunde hominum mentibus transsubstantiationis, & corporalis præsentiæ CHRISTI in eucharistia opinio, eámque vulgò tantopere exoscultatur, & in delitijs habent, vt mirifice impediantur auocentúrque animi, ne rationibus nostris & veritati secus manentibus attendant. Vtque alte stertentibus vna vel altera inclamatione satis non est vt expergiscantur, ita his excitandis à veterno receptæ opinionis, aliquid semel dixisse non sufficit. Vnde non parum me arbitrabor consecutum, si apud hoc superstitiosum hominum genus, eadem sæpius monendo aliquid profecero. Suadeat itaque charitas

erga errantes eruditis & sanis lectoribus, vt hoc fastidium boni consulant. Alterum quod mihi posco ignoſci, est ruditas & imperitia scribendi, nam cum ab adolescentia in bonis artibus parum fœliciter fuerim institutus (vt quandóque iuuenibus, præceptorum vitio vsuenit) nunc latine, pure, ac faciliter, vel dicere vel scribere, minime possum. Quare velim meminerint, cum Tua Celsitudo, tum omnes ad quorum manus ista peruenerint, non esse omnia ab omnibus requirenda. Equidem quod potui præstiti, nec voluissem eruditas aures meis ineptis lucubrationibus obtundere. Verum vt hæc aderem, non meapte sponte factum est, sed improbitas maleuolorum id extorsit. Quamobrem Tuam Reuerendiß. C. obsecro, per illam benignitatem, qua soles & literas & religionem fouere, vt quæ offero, grato animo digneris accipere, & quæ in eis minus recta videbũtur, libere improbare, ac è diuerso, quæ orthodoxa & sana deprehenderis, tua constanti authoritate atque beneuolo

fauore

fauore tueri. Deus Optimus Maximus,
Tuam Celsitudinem ad multos annos,
cum Regno, tum Ecclesia, in-
columem seruet. A-
men.

TRACTATIO DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE, HABITA publice Oxonij, per *D. PETRVM MARTYREM* Vermilium Florentinum, in ea academia Sacræ Theologiæ publicum & regium professorem, cum iam absoluisset interpretationem XI. capitis prioris Epistolæ ad Corinthios.

Status quæstionis de Eucharistia.

CONTENTIONES DE Sacramento Eucharistiæ sub ortæ hunc procul dubio scopum habent, vt intelligatur modus coniunctionis corporis & sanguinis Domini cum symbolis panis & vini, vel vt alij apellant, cum speciebus sacramentalibus. Quoniam apud omnes constat sacramentum hoc appellari CORPORIS et SANGVINIS Domini, ideo oportet aliquo modo hæc ista sacramento contineri. Cæterùm nos hæc indagando non omnia referemus

feremus quæ vltro citroq; iactantur, ne res quæ alioquin per sese obscura est, magis inuoluatur, & ne tractatio in immensum crescat. Ordo autem & dispositio doctrinæ ad quátuor capita redigetur: Agemus primũ de ea coniunctione, qua panem & vinum dicunt vulgò trãssubstantiari in corpus et sanguinẽ Christi, quæ videtur summa copulatio sacramenti cum rebus. Deinde excutiemus aliam sententiã, q̃ statuit panem quidẽ et vinũ quò ad suas integras & ueras naturas, in sacramento retineri, et ira retineri, ut sibi ad iunctim (vt loquũtur) naturaliter, corporaliter, et realiter, verũ corpus Christi et sanguinẽ habeãt. Tertio loco expendetur, quod alij dicunt, ista minimè coniũgi inter se alia ratione quàm sacramentali, id est per significantiam et repræsentationẽ. Postremò, indicatio inducetur, qua ex opinionib. pertinentibus ad secundam & tertiam sententiam, elicietur, quãtũ uideatur magis ad pietatẽ facere hoc sacramẽtali negotio. Auspicabimur itaq; ab opinione trãssubstãtiationis, partim

Quatuor capita sunt hic tractanda.

p. 218.

p. 244

p. 249

quia craſsior eſt, deinde quod recentior, & quia reliquæ duæ ſententiæ eam & concorditer & paribus ſtudijs expugnant. De illa ſcribitur à Magiſtro ſententiarum in 4. lib. 8. 9. 10. 11. diſtinct. Vtq; in ſumma dicam, ita ſe habet. Miniſter ad hoc ordinatus, dum verba profert à Domino inſtituta, ſuper debita & conuenienti materia, id eſt, pane et vino, modò intentionem (vt loquuntur) habeat hoc agendi, ſubſtantia panis & vini, conuertitur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, atque ita conuertitur, vt accidentia conuerſæ aut euerſæ ſubſtantiæ maneant abſque ſubiecto, quæ tamen voluerũt nonnulli corpori Chriſti, quod ſucceſsit, inniti, verum hoc ideò falſum eſt, quia reuera corpus Chriſti talibus non afficitur accidentibus. Conati ſunt alij ſubijcere illis aërẽ vt naturale fundamentum, quod item cùm probari non poſsit, omnes ferè huius ſententiæ patroni ea conſentiunt pendula eſſe, & abſque ſubiecto manere. Volunt deinde hæc accidentia quæ videntur & ſentiuntur, ſignificare

Opinio q̃ ſtatuit trãs ſubſtantiationem.

ſimificare nobis corpus Chriſti verum, quod habeant in ſe velatum & opertum. Progrediuntur poſtea vlterius, & aiũt: Iſtud Chriſti corpus deliteſcens ſub illis accidentibus, eſſe ſignum cum ipſius corporis Chriſti quod in cruce pependit, tum etiam myſtici corporis, id eſt ſocietatis electorum atque prædeſtinatorum hominum. Vnde Magiſter ſententiarum, inquit, eſſe hic aliquid quod tantùm eſt ſignum, atque id ponit eſſe ſpecies viſibiles, aliud quod res eſt & ſignum, nimirum corpus Chriſti, quod occulitur ſub accidentibus, id enim res eſt, ſi referatur ad ſpecies viſibiles et ſignum, ſi ſpectes myſticum corpus: Aliud inquit eſt, quod ſignum nullo pacto dixeris, ſed rem tantummodo, nimirũ corpus myſticum, quia ita ſignificatur, vt nullius rei amplius ſignum exiſtat. Quæ poſtea in actione horum myſteriorum interſeruntur, non inquit neceſſaria eſſe, ſed tantũ gratiarum actiones, aut preces interpoſitas: Et ſi quæſieris ab eis, quomodo tantum corpus eo paruo pane contineatur, dicunt hoc

non esse per modum quanti, nec etiam localiter, vel vt loquuntur, definitiuè, sed per modum substantiæ, vtque dicunt, sacramentaliter. Neq; habent pro absurdis, in hoc sacramento cõtineri duo corpora eodem loco, quoniam id ponere cogũtur, etenim inter panis accidentia est quantitas, & ea quidem corporalis. Item non abhorrent vt idem corpus verè in pluribus locis existat, & hominem concedunt iustæ proceritatis & staturæ, vt Christus fuit in cruce, vtq; ad iudicandum veniet: Non solum in paruo pane, sed etiam in quàm minima parte eius, verè, sed inuisibiliter contineri. Plura possent adhuc referri quo ad istã sententiã, sed uolo hæc satis esse nostræ tractationi. Qui plura desyderat Magistrũ sententiarum loco citato cũ suis infinitis interpretibus potest consulere. Conuersionis autem siue trãssubstantiationis hæc afferunt argumenta.

Argumẽta pro transsubstantiatione. Conf. p. 123

1 *PRIMVM, Scriptura sancta id suadet. Nam Ioan. 6. promisit Dominus carnem suam se daturum esse, non solùm pro mundi vita,*

vita, sed ad manducandum: & adiecit, Nisi quis manducauerit carnem meam, & bibe rit sanguinem meũ, non habebit vitam. Aie bat præterea se panem esse de cœlo, & quidẽ viuum, quem pater dedisset, vbi aperte pollicebatur seipsum daturum manducandũ ad similitudinem panis: & quod promisit bona fide præstitit, vt Euangelistæ in extrema cœna factum attestantur. Atq; id quod traditur, corpus Domini esse, Paulus demõstrat, cum inquit: Qui manducat et bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: Itẽ, iudiciũ sibi manducat et bibit, nõ dijudicans corpus Domini. Sed robur argumenti totũ in illis verbis consistere aiunt, quib. dicitur, Hoc est corpus meum, quæ clara esse cõtendunt, nec expositionibus egere, et nobis (inquiunt) pro reuerẽtia quam debemus verbo Dei, opus esse illis credere, nam in ea conspirarunt Euangelistæ, Matthæus Marcus, & Lucas, item Paulus apostolus priore ad Corinthios, et nisi res esset magni momenti, & ita simpliciter accipienda, vt sonat, tanta

concordia inter se non consensissent Apostoli. Quod si tropis liceat eludere, nihil iam (inquiunt) ab hæreticis tutum erit.

2 Deinde, propositiones huius generis, vt ista, Hoc est Corpus meum, accipi debent, vt subiectum & prædicatum idem repræsentent ac referant, sitque (vt in scholis dicitur) identica propositio, nisi aliquid ante uel postea in sermonis cõtextu reperiatur, quod nos ad tropum vel allegoriam adigat, quod hoc loco non inuenitur. Imò si rectè inspicias quæ consequuntur, ad simplicitatem propositionis nos potius reuocant. Nam dicitur, Quod pro vobis traditur: manifestum verò est pro nobis fuisse traditum ipsissimũ Christi corpus.

3 Præterea quæ natura & specie discreta sunt, & à dialecticis vulgò appellantur, disparata, vt homo, equus, & lapis, ita se habent, vt nullo pacto de se mutuò prædicari possint, etenim verum nunquam erit, hominem esse lapidem, vel è diuerso: Corpus autem Christi & panem in hoc sensu esse dubi-

tat

tat nemo, quare nunquam verum erit dicere de pane, quod sit corpus Christi, ideo quã do protulit Dominus, HOC EST CORPVS MEVM, necessarium est abüsse substantiam panis.

Additur: Christus non temere vsus est 4
verbo substantiuo præsentis temporis, vt diceret, Hoc est corpus meum potuisset sanè dicere, Hoc significat corpus meum, Hoc repræsentat corpus meum, Hoc est figura corporis mei, vel signum corporis mei: aut si hic panis est corpus meum, quæ omnia cum euitarit, simpliciter accipiẽdum est dictum, vt ipse protulit.

Ad hæc si maneret substantia panis, duæ 5
substantiæ simul manerent, & quidem corporeæ, atque se mutuò penetrarent, quod ponendo transsubstantiationem remouetur.

Rursus immineret periculum ne populus 6
in idololatriam incideret. Nam cum Christi corpus adorãdum sit, si panis ibi remaneret, is quoque adoraretur.

7 *Neque ex dignitate videtur esse corporis Christi, vt hoc pacto vel pani vel vino coniungatur.*

8 *Argumentantur & à ratione sacrificij. Nam si corpus Christi à ministro offertur, oportet vt ipsum habeat, & ibi conspectui Dei sistat, nisi velimus dicere eum rem tantum significatam & adumbratam offerre.*

9 *Clamitant postea omnino patres à se stare. Irenæum in primis citant, qui ait in 5. libro: Quando mixtus calix & fractus panis percipit uerbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. 4. lib. ferè idem dixit. Tertullianus item libro 4. ait, Christum acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum fecisse. Et Origenes in Matthæum cap. 26. ait: Panis iste quem Deus verbũ, corpus suum esse fatetur, & quæ sequuntur. Cyprianus in sermone de cœna Domini: Panis iste communis, in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam: Ac rursus in eodem sermone, Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed*

Patres pro se citant. Irenæus.

Tertull.

Origenes

Cyprian.

nãtura,

natura mutatus omnipotentia verbi, factus est caro. Ambrosius de sacramentis lib. 4. Panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi: Et multa alia habet huiusmodi in libellis de sacramentis. In eãdem sententiam Chrysostomus hom. 60. de Eucharistia, quæ 6. tomo habetur, inquit, simile esse hoc sacramentũ ceræ admotæ ad ignem, vbi nihil substantiæ remanet, sed tota igni assimilatur, ita inquit, hac substantia corporis Christi absumi panẽ & vinum. Augustinus in prologo Psal. 23. Christum, inquit, gestasse seipsum suis manibus, cum in cœna sacramentum instituit. Et in Psal. 98. exponens illud, Adorate scabellum pedum eius, Carnem Christi asserit adorandam in sacramento, quod non congrueret, si panis residuus esset. Et de Trinitate libro tertio: Sacramentum, inquit, non posse fieri nisi vi spiritus sancti cooperantis. Et Hilarius 8. de Trinitate, inquit, per naturæ veritatem Christum in nobis esse, & non tantùm per concordiam volunta

Ambrosius. Chrysost. 165 Augustinus. Hilarius.

tis, aitq; nos verè verbum carnem cibo do-
Leo. minico sumere. Leo Episcopus Romanus
epist. 10. clero & plebi Constantinopolita-
na. Accipientes virtutem cœlestis cibi in
carnem ipsius, qui caro nostra factus est
transeamus. Damascenum addunt à se om-
Theophil. nino stare. Inducitur ab ipsis etiam Theo-
phylactus, qui apertissimè transelementatio
nis meminit. De Anselmo verò atque Hu-
gone de sancto Victore, qui posteriores fue-
runt, non est dubium, quin transsubstantia-
tionem asserant [illegible] patres tam veteres
quàm nouos pro se facere dicunt.

10 Citant & concilia, nimirum Ephesinũ
Conciliũ Ephesinũ. contra Nestorium, vbi fuit Cyrillus qui præ
sidebat, & is multa habet hac de re, &
potissimum dicit nos participes sancti corpo
ris, & pretiosi sanguinis Christi effectos, nõ
communem carnem percipere, neque vt vi-
ri sanctificati, sed verè sanctificatricem, et
ipsius verbi propriam factam. Citant &
Cõcilium Vercellense. concilium Vercellense sub Leone nono, vbi
fuit damnatus Berengarius, de cuius pali-

nodia

nodia & in Decretis habetur de consecrat. distinct. 2. & in 4. sententiarum. Item concilium Romanum Lateranense sub Innocentio. 3. qui transsubstantiationis meminit in Decretalibus de summa trinitate capi. firmiter, & de celebratione missarum capite, Cum Martha. Concilium etiam Constantiense, vbi damnatus est Vuicleffus, qui hanc transsubstantiationem inficiabatur. Concilium Romanæ Latereneose.

Citant & pro se, vt aiunt, consensum totius ecclesiæ, quo adeò permotus est Scotus in 4. vt cum non demonstraretur firmiter scripturis & rationibus transsubstantiatio, attamen cesserit, ne consensui ecclesiæ aduersaretur. 11 Consilium ecclesiæ. Scotus.

Deducunt ad hæc latissimum atq; fusissimum argumentum à potentia Dei, quod longè maiora is præstare possit. 12

Et miracula inducũt complura, quæ sunt edita ad huius veritatis testimoniũ, vt quod in manibus Gregorij ad eius preces hoc sacramentum versum fuerit in digitum carneum: quandoq; ibi apparuerit paruulus pu- 13

er. Et sacramẽtum perfossum lanceolis, emi serit sanguinem.

14 Multa dicunt etiam de corpore CHRISTI glorificato, quod Paulus hac priore ad Corinthios appellat spirituale, vt ostendant Christo id optimè licuisse, vt corpus suum traderet nobis velatum & opertum accidentibus.

15 Et inducunt non simpliciter positum esse græcè, Hoc est corpus meum, sed adijcitur articulus, vt non dicatur, σῶμα. sed τὸ σῶμά μου, & consueuerunt Græci tum addere articulos, quando sermonem volunt admodũ proprium & significantem facere.

16 His addunt, Promisit Christus Apostolis, Ero vobiscum vsq; ad consummationem sæculi. Quod non est traducendum tantum ad diuinitatem, quia & hoc sciebant, verũ quia tristabantur propter eius corporalem abitum, illos consolatur, quod sit cum eis futurus etiam corpore.

17 Præterea, Si auferatur trãssubstantiatio & remaneat panis, cum is non possit esse corpus

corpus. Christi, relinqueretur tantum significatio, & tunc non haberent noua sacramenta quippiam, quod in veteribus non reperiretur. Nam & illa Christum significabant. Imò si species externam speciem, magis adumbrabant quàm panis & vinum, quoniam ibi animalia bruta cædebantur, et fundebatur eorum sanguis, quod in pane & vino minime contingit.

Videturq; illis mirum, cum Christus pro 18
miserit in Petro, fidem ecclesiæ non defecturam, eaq; sit sponsa Christi charissima, quo modo illam tamdiu in hac idololatria deseruerit, neq; ostenderit rei veritatem contra tantum abusum.

Argumentantur etiam: Si conseruatis pa 19
nis & vini substantijs, veritas rerum non potest adesse, vt conclusum est, nil plus habebitur in sacramento, quam in vulgaribus cibis atq; conuiuijs. Nam ibi quoq; fideles panis & vini significationem intelligent, atq; ita sacramentorum dignitas peribit.

Postremo loco inquiunt, verbo DEI 20

conseruãdam esse suam vim atq; potentiam, quæ si auferatur, transsubstantiatio non manet. Ambrosius de sacramentis inquit: Verbum Dei operatorium esse, vt panis & vinum maneant quæ sunt, & in aliud commutentur. Quæ verba interpretatur Algerius scriptor recens in primo libro quem de hoc sacramento composuit, cap. 7. quod panis & vinum maneant quoad accidentia, mutentur vero in aliud, siue in melius, quoad substantiam.

Ambrosi.

Contra transsubstantiationem.

AT NVNC VIDENDVM est, quibus vicissim argumentis hæc sententia euertatur. Primum Scriptura sancta ponit hic panem esse, ergo non est uerum substãtiam eius in aliud conuerti.

Paul. quinquies panis meminit.

Euangelistæ Christum aiunt accepisse panem, fregisse & dedisse discipulis, & Paulus quinquies meminit panis. Nonne panis quem frangimus communicatio corporis Christi est? Et, Omnes sumus vnus panis, & vnum corpus, qui de vno pane participamus. Item, Quotiescunque manducabitis

hunc

hunc panem, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Et, Quicunque manducauerit hunc panem, & biberit hoc poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Postremo, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Hæc quoniam clara sunt & aperta, ideò si angelus de cœlo euangelizauerit secus, esto anathema. Potuissem quidem inducere id, quod sæpe habetur de fractione panis, cæterum quia video posse aliter accipi, quasi dicatur de vulgari & communi cibo, vt in Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, & Hieremias in threnis cap. 4. Petierunt paruuli eorum panem, nec erat qui frangeret eis, idcirco supersedeo, & nolo adducere nisi firma. Cum itaque loca ante citata sint perspicua, debent simpliciter accipi. Sed cauillantur aliqui, panem dici propter naturas quæ cõuersæ sunt, atq; vt eorum more loquamur, aiunt denominationem hanc esse à termino à quo, & auferunt consimilia loca. Cum serpens factus ex virga Aaronis de-

Frangere panem Hebraica locutio.

uorauit serpentes Magorum, quos & ipsi fecerant ex suis virgis, dicitur virga Aaronis deuorasse Magorum serpentes. Deinde non semel in sacris literis, homo dicitur terra, eo quòd ex ipsa, corpus eius effectum fuerit. Mulier item dicta est ab Adamo, os ex ossib. eius, et caro ex carnibus eius, quia
Responsio. inde fuerat à Deo formata: Verũ hæc frustra obijciuntur, quia in sacris literis habetur aperta mentio istarum conuersionum, idcirco
Obiectio. necessitas historiæ et verborũ nos adigit ad
Aliquãdo res nominari ex eo quod erãt non ex eo quod sint. istos tropos, eos itaq; admittimus. Ita isti nobis prius ostendant in sacris literis istã cõuersionem factam esse, nimirum panis & vini, in corpus et sanguinem Christi, et hos quoq; tropos dabimus eis, vt videlicet panis dicatur non qui modo sit, sed qui antea fuerit. Et eodem modo spectat quod dicunt, Si quis mihi uinum donasset, quod statim acesceret, & ego habens in cantharo illud acetum, cõmode dicerem, hoc est vinum tuum, nõ quod tum vinum sit, sed quia antea vinũ fuerat.
Responsio Sed hic de conuersione uini in acetum sensus

indicat, quod in Eucharistia non contingit, vbi neq; sensus, neq; ratio, neq; sancta scriptura nos adigit, vt ibi talem versionē confitemur. Obijciunt locum ex Ioanne cap. 2. cum gustasset architriclinus aquam vinum factam, quo volunt ostendere, vinum recens productum Christi miraculo, adhuc aquæ nomen retinere. Sed Euangelista non dixit aquam simpliciter, sed vinum factam. Hanc vero declarationem in sacris literis non reperient, vt panis dicatur conuersus in corpus Christi. Confugiunt & quandoq; ad cap. 6. Ioan. vt dicant apostolum hic panem dicere, non triticeum, & vulgarem, sed corpus Domini, quod 6. cap. Ioan. panis appellatur, vbi Christus dixit: Ego sum panis vita. Sed contra eos facit, quod inquit Paulus, Panis quem frangimus, nonnè communicatio corporis Christi est? quod non potest corpori Christi conuenire vt frangatur, quandoquidem scribitur. Os non comminuetis ex eo. Caterum isti tam acuti, licet inuenerint in capite Ioan. 6. CHRISTVM

Obiectio.

Responsio

Obiectio.

Responsio

Panismate rialis Eucharistiæ non est panis de quo in 6. Ioan. nis agitur.

se appellasse panem, vbi quaeso reperiet eum se appellasse vinum? Quandoquidem in hac coena alterum symbolum, vinum dicitur: et quod improprie, nimirum in illis verbis, Nō bibam posthac ex hoc genimine vitis: Nemini vero dubium est vites, non accidentia producere, sed vinum. Deinde perit quod à patribus magno consensu dicitur, Corpus mysticum symbolis huius Sacramenti designari, quia panis ex multis granis conficitur, et vinum ex multis acinis confluit, quae in accidentibus veritatem non habent. Et de his non vulgariter miramur, qui si quando nos audiant adducere similia, puta, Petra erat Christus: Agnus siue victima, est Pesah: Circumcisio est pactum: Clamant istas allegorias non facere ad hunc locum, & nunc ipsi & tropos & allegorias vndiq; coaceruant. Dicunt etiam panem hic accipi pro omni eo quod potest comedi, vt Hebraica lingua לחם, *accipitur pro omni genere cibi. Verum contra eos faciunt Euangelistae, qui hoc genus cibi ad panem contrahunt.*

Confirmatio.

Obiectio.

Lehem.

Responsio

Fingunt

Fingunt alij, panem significare accidentia et figuram panis, qui principium petunt, & quod est in controuersia, quasi sibi iam datum sumunt, nimirum accidentia illic esse absq; subiecto, quod ante probare debuerãt. Neq; sunt miracula absq; necessitate coacernanda. Obiectio. Responsio

Aliud argumentum est. Veteres habuerunt eadem sacramenta quæ nos habemus, & tamen non opus fuit transsubstantiatione, vt Petra, vel aqua è petra fluens, aut Manna transsubstantiaretur, quod tunc fieri non poterat. Itaq; & ad nostra sacramenta hæc non requiritur. Priorem propositionem legimus in Paulo, Veteres & nos habuisse eandem escam. Aduersarij negant, et volunt omnino, multisq; modis nostra sacramenta distingui à mysterijs antiquorum, quod nos etiam damus, cum propter diuersa symbola, tum propter temporum differentiam, & alias quasdam proprietates. Verum quoad rem sacramentorum, quæ percipiebatur à sanctis Patriarchis, dicimus prorsus 2 Obiectio. Responsio sacramẽta ueterũ & noua eadem.

fuisse eundem cibum, & eundem potum, cũ re nostri sacramenti. Augustinus ad Marcellinum scribit de discrimine horum sacramentorum. Homini acuto posse sufficere, alijs sacramentis pranunciare Christum cum venturus esset, alijs cum venisset annũtiari oportuisse. Vbi videtur Augustinus tantum spectare temporis differentiam. Et in libello de vtilitate verę pœnitentię agendę, scribit apertissimè, antiquos cum Manna habuissent, idem manducasse, quod nos manducamus. Nam eundem inquit cibum spiritualem manducauerunt. Quid est eundem? nisi quia eum, quem etiam nos? Et quia potuisset alicui indignum videri, nos non amplius habere quam Iudæi habuerint, Pauli testimonium vrget, cui non suffecisset (inquit) dicere, antiquos habuisse spiritualem cibum, sed addere voluit, eundem, quo intelligamus eos in suo Manna idem comedisse, quod nos manducamus, ideo EVNdem adiecit. Neque obstat, quod aliqui dicunt, eum loqui de spirituali manducatione,

quod

quod videlicet Patriarchæ in Christum vẽturum crediderint. Primum, quia isti suam manducationem carnalem Christi non possunt constabilire. Deinde, quod non solum animo credebant veteres, sed etiam perceperunt creditæ rei symbolum, id est Man, aut aquam, ideo res non tantum fide agebatur, statq; Augustini sententia, cibũ patrum non solum fuisse spiritualem, sed eundem. Parũq; valet, si obijcias ex eodem Augustino super psalmo 73. in prologo, quæ ibi constituit discrimina inter noua & vera sacramenta, q̃ tria videtur facere. Primum, quod ibi promittatur seruator, hic vero detur. Postea inquit, Nostra faciliora, pauciora, augustiora et fœliciora: ac demũ, Illa fuisse vt ludicra in manibus puerorum, in nostris vero esse aliquid vtilius et solidius. Ista intelligenda sunt quo ad primũ de promissione Christi vẽturi; sed nõ obstante quod carnem re ipsa nondum susceperint, credentibus attamẽ patribus in promissionem, spiritualiter dabatur in cibũ. Nostra autem, Christum dicuntur dare,

nimirum quòd cum veniſſe teſtentur, vt nō amplius ſit expectandus. Deinde, noſtra pauciora eſſe certum eſt, ac habere maiorem facilitatem: Significant etiam auguſtinus, quia verba quæ dicuntur magis aperta ſunt, atque in veteri teſtamento fuerint. Præterea, fœlicitas eſt maior, nam à iugo cæremoniarum ſumus liberi, & in extrema hora verſamur, magis vicini profectò regno Chriſti. Vberior etiam nunc eſt ſpiritus, latiusq; patet eccleſia quam eo tempore, vnde multi Reges & Prophetæ deſyderarunt videre quæ vos videtis; Fuerunt etiam ſacramenta legis, vt ludicra, in manibus puerorum, quia ſub pluribus ceremonijs, elementis varijs, & multiplici pædagogia, inſtar puerorum, oportuit veterum ætatem exerceri. Sed his omnibus minime efficitur, ſacramenta veterum non habuiſſe quod attinet ad rem myſterij, eadem quæ noſtra habent.

Nam Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. habet: Dominus noſter Ieſus Chriſtus obtulit hoc idē

quod

quod Melchisedech obtulerat. i. panem, vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Aug. contra Faustum lib. 19. cap. 16. Quanto errore delirant, qui putant signis sacramentis q; mutatis, etiam res ipsas esse diuersas. Et ibidem lib. 20. cap. 21. Huius sacrificij carō & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: Post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Idem super Ioannem tractatu. 26. Sacramenta illa fuerunt in signis diuersa, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Idem mox, Eundem ergo cibum, eundem potum, sed intelligentibus & credentibus, non intelligentibus autem, illud solum manna, illa sola aqua, credenti autem, idem qui nunc. Tunc enim Christus venturus, modo Christus venit: venturus & venit, diuersa verba sunt, idem autem Christus. Et Bertramus inter recentiores ita scribit. Eandem tamen escam spiritualem manducasse, & eundem potum spiritualem bi-

biſſe patres noſtros. S. Paulus aſſeuerat. Quæris fortaſſe, quam eandem nimirum ipſam, quam hodie populus credentium in eccleſia manducat & bibit. Non enim diuerſa licet intelligi, cum vnus idemq; Chriſtus eſt, qui & populum in deſerto in nube & in mari baptizatũ, ſua carne pauit, ſuo ſanguine tunc potauit, & in eccleſia nunc credentium populum ſui corporis pane, ſanguinis vnda paſcit ac potat. Et mox idem, Mirum certe, incomprehenſibile & inæſtimabile, nondum hominem aſſumpſerat, nõdum pro ſalute mundi mortem deguſtauerat, nondum ſanguine ſuo nos redemerat, & iam noſtri patres in deſerto per eſcam ſpiritualem, potumq; inuiſibilem, eius corpus manducabãt, & eius ſanguinem bibebant, velut teſtis exiſtit Apoſtolus clamans, Eandem eſcam ſpiritualem. Et mox idem, Ipſe namq;, qui nũc in eccleſiia omnipotenti virtute, panem & vinum in ſui corporis carnem, & proprij cruoris vndam ſpiritualiter conuertit, ipſe tunc Manna de cœlo datum, corpus ſuum,

&

& aquam de cœlo profusam, proprium sanguinem, inuisibiliter operatus est.

Videmus præterea in sacramento baptis- 3
mi spiritum sanctum conferri, & remissionem peccatorum, nec tamen ista dicemus in aquis delitescere, Imò & Christum induimus, nec tamen vllus dicit aquam transsubstantiari. Christum aliter in Eucharistia esse, & aliter in baptismo, quod ego non negauerim, modo concedant & in baptismo esse. Obiectio.

De modo, fateor in baptismo Christum nobis dari, vt mediatorem, vt reconciliatorem, atq; vt magis proprie loquar, regenerationem. Hic verò vt cibus & alimentum nobis distribuitur. Quomodo Christus in baptism. & in Eucharistię detur Responsio

Deinde cum sua transsubstantiatione isti 4
maximè accedunt ad Marcionitarum tropum, nam dicunt: Videtur panis & non est, quod idem Marcion aiebat de carne & corpore Christi, quod non fuisset vera caro, sed tantum appareret. Marcionitarum error.

Christus non est præstigator, neque sen- 5
sibus nostris illudit. Probauit autem

Christus non est prestigiator.

Obiectio.

suam resurrectionem à sensibus. Palpate inquit, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet. Potuissent Apostoli dicere, Palpamus & videmus, caro & corpus apparet, verum non est, atq; inanis fuisset ea probatio, qua Christus probauit se nõ esse phantasma, sed verum habere corpus: Et, quod suum proprium recepisset & non aliud, ex fissuris clauorum, & aperto latere demonstrauit. Quod eius argumentum, si detur locus his prestigijs, nullius esset roboris.

6 Quin & patres, à proprietatibus & accidentibus humanæ naturæ argumentantur, Christum vere hominem fuisse, quia esurijt, dormiuit, admiratus, & contristatus est, & lachrymatus, & passus. quæ argumenta pereunt, si ex istis accidentibus non vere demonstratur substantia, vt non liceat dicere eadem est figura, idem sapor, idem color, qui panis esse consueuit, ergo vere est panis: Nam fatebuntur hæretici, Christum esurijsse, dormiuisse, admiratum, lachrymatum

tium & passum esse, verum cum inde infe-
res, igitur vere fuit homo, negabunt conse-
quutionem. Dicent enim proprietates istas
potuisse, in Christo habere locum, quamuis
non adsit earum substantia, videlicet, huma
na natura.

Aiunt quartum argumentum de Mar- Obiectio,
cione, Illū potuisse capere ansam erroris sui
ex Euangelio, vbi scribitur de Christo, quod
siccis plantis ambulauerit super aquā, eleua-
tus fuerit in cœlum, & elapsus è manibus
Iudæorum vt se non viderint, nec tamen pro
pter istud periculum Marcionitarum, hæc
debere auferri ex Euangelio. Quibus respon Responsio
demus in Euangelijs describi, Christum se-
mel aut iterum ista fecisse miracula, sed vos
ponitis hæc perpetua esse. Et quæ in scriptu-
ris sunt, ipsi non finximus, ideò non debemus
accusari datæ occasionis. At in his quæ fin-
gimus, quæ exponimus & dogmatizamus
absq; expresso Dei verbo, cauendum est fenè
stram hæreticis patefaciamus.

Corrūpitur adhæc natura Sacramenti, 7.

de quo Augustinus super Ioannem inquit: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Natura eius est vt componatur ex his duobus, sed vt isti ponunt, elementa, id est, panis & vinum, auferuntur, & tunc Augustinus dicere non debuit, Accedit verbum ad elementum, sed tollit vel aufert elementum.

Natura Sacramenti.

8 Et cum remoueant naturas elementorũ, perit analogia significationis. Panis ideò significat corpus Christi, quia alit, confirmat, & sustentat, quod accidentibus tribuere non possumus. Est praterea significatio multorum granorum in vnum collectorũ, quæ repræsentat corpus mysticum, et eâ non potest accidentibus tribui. Vnde Paulus docebat, Multi sumus vnus panis & vnum corpus, quia de vno pane participamus. In baptismo, aqua dicitur lauacrum regenerationis, & quia seruatur eius substantia, id optimè conuenit, quod accidentibus aqua non quadraret.

Quæ sit analogia symbolorum ad res in hoc Sacramento.

Analogia symbolorum ad rẽ io baptismo.

Et auferendo substantiam panis & vini,

ni in propoſitione, Hoc eſt corpus meum, verbo ſubſtantiuo EST abutuntur, pro tranſſubſtantiatur, cõuertitur, vel tranſmutatur. Nam dum proferunt illa verba Domini, nondum panis eſt corpus Chriſti, vnde ſi acciperẽt, EST, ſua vera et propria ſignificatiõe, falſum proferrẽt. Quare inter ſcholaſticos nũnulli fatentur, EST, verbum, debere ſumi pro fieri, mutari aut conuerti.

Attribuunt deinde iſtam potentiam aut 14
efficaciã illis paucis verbis Domini, ut quoties repetuntur, fiat iſta conuerſio, nec habent in ſacris literis ea de re vllũ verbũ. Etſi quis diceret ea quæ Paulus habet, Matthæus, Marcus, aut Lucas, putarent non conſecrari. Vim enim totã alligant ad verba ſui canonis. Nos autem ſcimus tunc haberi Sacramentum, quando agimus quæ Chriſtus egit, & iuſſit fieri. Is verò non tantum ea verba dixit, ſed gratias egit, panem fregit, comedit, atque alijs porrexit ad comedendum: Cúmque multa hic ſint, omnia cõcurrunt ad ſacramenti veritatẽ, nec aliquid iſto

rum intermitti debet. Mitto quod ignorant an verbis Christi consecratio habeatur, an precibus.

11 Exponunt adhæc se magno periculo. Nam posset sacrificus malus & impostor illa verba reticere, immutare aut inuertere.

12 Præterea cum intentionem (vt loquũtur) requirant consecrantis, ille posset hæc agendo, nil cogitare de consecratione, & forte eam nolle.

13 Incidunt in multa absurda & inexplicabilia. Nam ponunt ibi corpus esse posse in infinitis locis simul, & in eodem tempore. Sed aiunt sibi hoc non obesse, quia & si ibi sit corpus Christi, non tamen hoc fit per modum quanti. Et hoc est mirandum, quomodo ponant corpus, & quantum, & vere adesse, non tamen per modum quãti. Cumq; statuant verè adesse, & corporaliter et carnaliter, ut dicunt, sed non localiter. Quis non videat ista conficta esse ad eludenda argumenta? Obijciunt hoc datum esse corpori humano

Idem corpus nõ est simul in multis locis.

Obiectio.

mano S. Ambrosij, qui dum Mediolani esset Turoni interfuit exequijs diui Martini, & ibi visus est. Cur inquiunt non magis id concedendum est corpori Christi, quod Ambrosius habuit? Sed assumunt quod nos minimè damus. Nam fieri potuit vt Ambrosio reuelaretur, sibiq; fuerit visus adesse illis exequijs, atq; opere Angelorum in illis forte repræsentatus & aspectibus plebis, quod autem vere fuerit corpus eius vtrobique, non dabimus. Deinde possemus recitati miraculi penes authorem fidem relinquere. Opponunt rursus de animis, quod cum sint creaturæ, attamen quilibet eorum est in capite, & in omnibus membris corporis nostri. At valde imprudenter faciunt qui spiritum conferunt corpori, & quæ spiritui licent, velint dari corporibus. Apertè Christus dixit: Spiritus carnem & ossa non habet, quo discrimen inter ea nõ mediocre posuit. Deinde si concedamus corpori dandum quod animus noster habet, non consequitur corpus Christi esse posse in diuersis locis, quia ani-

Miraculũ Ambrosij.

Responsio

Obiectio.

Responsio

mus noster & Angeli, non possunt esse in diuersis locis, vno atq; eodem tempore. Sunt enim creaturæ, atq; ideò limitatæ finitæq; virtutis.

Absurda q̃ sequuntur transsubstantiationem.

15 Sequuntur & multa alia incommoda, quia si mures panes istos sacros arroserint, illi dicent eos comedere accidentia. Quod si impleantur & saturentur, hoc quoque erit opus accidentium, & si contingat sacrificũ verba illa proferre super dolium vini, & cistam panis, quæ satis ampla fuerit, & quæras, quid impleat dolium, quid cistam, quidue etiam ventriculos eorum, qui inde comedunt & bibunt? sunt responsuri, accidentia. Et quia cõmedentes aluntur, nonnulli eorum dicere ausi sunt, Deum creare in ventriculis comedentium & bibentium vel pituitam, vel alium quempiam humorem, qui in sanguinem conuerti possit, vnde illi nutriantur.

16 Quod si comburatur illud sacramentum, vt fiebat Hesychij tempestate, quod ipse super Leuitico attestatur, idémque habet

bet Origenes super eodem libro, cineres profecto residui erunt, atq; ita substantia procreabitur ex accidentibus. Vermes item possunt oriri ex pane consecrato, & ibi etiam dicent, substantiam ex accidentibus produci. Quamuis, ut sunt audaces, quidam eorum fingant miraculo, præcedentem materiam reduci, ex qua possunt ista contingere. Sed si liceat miracula hoc pacto augere ac fingere, facillimè quilibet euadet theologus, nam cui libet difficiliori nodo miraculum adhibebit, atq; ita soluet omnia, quæ sibi obiecta fuerint argumenta.

17 Aiunt ad hæc, non solum miraculis, verumetiam sophisticis argutijs, vt Scotus, quando vrgetur in prolatione illorum verborum, Hoc est corpus meum, vt nobis dicat quidnam demonstretur in subiecto propositionis, tandem respondet: demonstrari aliquod singulare siue individuum generalioris substantiæ, quod cum prædicato idem refert, aut pro eodem (vt loquuntur) supponit neque differunt inter se, quæ

Quid demonstretur in propositione, Hoc est corpus meū, pronomē hoc

significatur per subiectum & prædicatum, nisi per varias concipiendi rationes. Vide in quæ prorumpant, & tamen non adhuc euadũt. Nondum enim responsum est ab eis, quid demonstretur cum dicitur, hoc est corpus meum. Roffensis inquit in his propositionibus quando aliquid mutatur in aliud, non esse absurdum, vt id quod antea fuit, demonstretur, & sic admittit, Hoc est corpus meum, vt demonstretur panis qui fuerat, & mutatur in corpus Christi, dum illa dicuntur. Sed tunc ego dico, propositionem non recte formari. Nam debuit dici, Hoc fit corpus meũ, vel hoc conuertitur in corpus meum, alioquin si dicatur, Hoc est corpus meum, locutio sit impropria.

18 *Qui ponunt corpus Christi realiter coniungi symbolis, conseruatis panis inquam et vini naturis sic argumentantur contra trãs substantiationem. Quid habent accidentia aut dignitatis, aut priuilegij vt possint coniungi cum corpore Christi, quod substantiæ & naturæ panis negari debeat? Etsi manere*

re possunt accidentia, quare non item substantia panis retinebitur? Imò complures ex patribus hoc fieri supponunt, & inde similitudinem accipiunt ad ostendendam humanam & diuinam in Christo naturas vere manere, & ita manere, vt vna in alterâ non transeat: Quorum sententias suo loco inducemus.

Incidunt & in aliud absurdum. Nam dum frangunt Sacramentum, ab eis quarimus quid ibi frangatur? hic ambigunt & quidam dixerunt, vt attestatur Magister sententiarum in quarto, essentiam siue substantiam corporis Christi frangi. Sed confutatur ab eo ista sententia, quod Christi corpus immortale sit, & ideo non afficiatur his rebus, & nouis casibus. Alij fuerunt qui dicerent, fractionem illam non esse veram, sed tantum apparere, & ita videri sensibus nostris. Et hoc item repudiatur, ne constituamus hic perpetuam illusionem. Tandémque inquiunt accidentia esse quæ frangunt, et quum ponant quantitatem, quodam-

19 Quod frangatur in eucharistia.

modo mathematicam, id est, à materia separatam, quæ si diuiditur id tantum vi mentis & facultate intellectus fit, isti etiam reipsa ita diuidunt, vt partes quam manifestissimè videantur separatæ.

20 In Hieremia legitur, Mittamus lignũ in panem eius, qui locus à Tertulliano citatur & à Lactantio: & interpretantur hoc dictum fuisse de ligno crucis in corpus Christi mittendo, panisq; mentionem fieri volũt, eo quòd per panem Christus erat seipsum nobis daturus. Et quod Propheta dicit, figuram fuisse volunt panis sacramenti, quem isti cũ auferant, et solum figuram nobis relinquãt, ponunt figuram figuræ, ut nil solidi subsistat. Quod idẽ colligi potest ex eo, quod sæpius adducitur à patribus de Melchisedech, qui panem & vinum protulit, cuius typus ab istis non obseruatur, quando panem & vinum submouent. Ac de panibus propositionis idẽ sequitur.

Transubstãtiatores figuras ueteris testamenti tollunt.

21 Rursus adducemus rationem à baptismo sumptam. Paulo ante inde argumentabamur,

mur, quod ad illius ſacramenti veritatem non requirebatur, vt aqua tranſſubſtantiaretur, nunc ratiocinamur ab ipſis hominibus qui tinguntur, de quibus aperte ſcitura inquit, quod veterem hominem deponũt, & rurſus generantur, nec vlla tamen in eis fingitur tranſſubſtantiatio, et nihilominus generatio, deſcribitur motus, quo noua ſubſtantia acquiritur. Ideo non eſt mirandum Nicodemum impegiſſe in verba Domini, quibus ei denunciabatur naſcendum eſſe denuò. Dum enim cogitaret prædicari nouam generationem homini iam producto, & ætatis adeò prouectæ, hæſitauit. Quod ſi interpretamur illam generationem nouam, & natiuitatem ſpiritualem eſſe, cur idem facere dedignamur in euchariſtia? & ad ſpiritualem manducationem omnia non traducimus? Libenter hæc duo ſacramẽta, baptiſmum & Euchariſtiam coniungo, quia Paulus in hac epiſtola capit. 12, ea ſimul connectit, quando inquit, Nos omnes per vnum ſpiritum in vnum corpus bapti-

Mutatio noſtri in baptiſmo.

Baptiſmi & Euchariſtiæ conformitas.

zati sumus, & omnes in vnum spiritum potati. Neque valet si dixeris, nos baptizari in idem corpus, videlicet mysticum, quia à corpore mystico non abest Christus, cum sit eius caput. Et alibi dicit Paulus quam apertissimè, nos in baptismo Christum induere.

22 *Videmus præterea scriptores sacros ex capit. 6. Ioan. multa adducere de Sacramento Eucharistiæ, imò nullus ex patribus est, qui illud caput interpretando, non scribat copiosè de Eucharistia, vnde sic rationem connectimus: Vel quæ ibi dicuntur ad hoc sacramentum faciunt, vel non faciunt. Si huc nõ pertinent, quorsum ea citare, aut ex illis locis de Eucharistia disserere? Sin verò horsum spectant, cum ibi sit manducatio tantum spiritualis, id est per fidem, qua suscipiatur verum corpus & sanguis Christi, quid oportet nouam aliam inducere perceptionem, carnalémque manducationem commiscisci, qua idem rursus accipiatur? Nam si demus aliquem accedere pium & fidelem, tunc isti cogentur admittere, eum bis corpus*

6. cap. Ioã. quomodo pertineat ad Eucharistiam.

pus Christi comedere: Primum spirituali mã ducatione per fidem, postea sua carnali, quã nunquam probarunt. Atq; ita vides eos præcludere sibi viam, vt non possint de Eucharistia verè citare ea testimonia, quæ habentur in 6. cap. Ioan.

ET dum transsubstantiationem constituunt, eiusdem erroris taxantur, atque Capernaitæ. Illi quoq; mente voluebant nescio quam corporalem carnis Christi manducationem, à quo cogitatu, statim Christus eos reuocauit, cum diceret verba sua spiritum esse & vitam: Carnem nihil prodesse, & illis obiecit suæ assensionis in cœlum mentionem, dicens: Quid si videritis filium hominis ascendentem in cœlum vbi erat prius? Verum isti dicunt, se non eadem sentire quæ Capernaitæ. Nam inquiunt, Illi cogitabant carnes Christi dissecandas in frusta, & dentibus dilacerandas, idcirco abhorruerunt. At tamen de imaginatione Capernaitarum speciali, quicquid sit, scire non possunt, sed verisimile est eos carnaliter sensisse, ideo men- 23 Error Capernaitarum. Obiectio. Responsio

tione aſcenſionis in cœlum monentur. Cur iſti ſeipſos inde non docent? qui dicere audẽt ſe Chriſtum manducare, & carnaliter & corporaliter? Quid intereſt, ſiue per partes accipias, ſiue totum ſimul deglutias?

24. *Huc accedit, Chriſtum dixiſſe Apoſtolis ad finem vitæ, quod mundũ relinqueret, & ab illis recederet, quod non eſſet verum, ſi per tranſſubſtantiationem, vt iſti volunt, nobiſcum eſſet. Reſpondere conſueuerunt, Chriſtum reliquiſſe mundum, quoad mortales conditiones & familiaritatem, et conuerſationem corporalem. Arguta quidẽ iſta ſunt, ſed ad rem non faciunt. Nam cum hæc locutus eſſet Chriſtus, Philippus reſpondit: Ecce iam loqueris palàm, et abſque parabolis. Verum ſi ita fuiſſet intelligendum, obſcura erat oratio & parabolica. Deinde ſi Chriſtus ita corporaliter nobiſcũ manet in Euchariſtia, poterit eadẽ ratione, et in cordibus noſtris, & in nobis ipſis manere. Idcirco potuiſſet per ſemetipſum, poſt aſcenſionẽ eccleſiam adhuc regere, & Apoſtolis adeſſe,*

Obiectio. Chriſtus reliquit mundum.

se, is tamen dicit se velle dare vicarium loco sui, nimirum spiritum sanctum, qui non fuisset necessarius, si totus Christus, quoad diuinitatem & humanitatem (vt isti volunt) adesset. Nam in vnoquoque nostrum cũ sit caro & corpus eius, per communicationem (iuxta eorum doctrinam) & diuinitas adsit, per seipsum agere poterat, absq; monitore spiritu sancto.

Maria Domini mater, beatissima virgo, cum audisset ab angelo verbo Dei susceptu- 25
rum esse carnem, atq; ad concipiendum & pariendum filium Dei se delectam esse, hac noua & admiranda iudicauit, interrogauit que, istud quomodo fieret, & qua sequuntur. Hac autem trasmutatio panis in corpus Christi, cum non sit leuior eo mysterio incarnationis & natiuitatis ex virgine, mirum est quomodo in scripturis sacris ea de re nulla inueniatur vel admiratio vel interrogatio. Et in nullis Euangelistarum vel Apostolorum scriptis ista fides transsubstantiationis nobis cõmendatur, cum sit res magni

Admiratio uel interrogatio de eu charistia.

Obiectio. momenti. Neque audimus nonnullos, qui dicunt præcessisse interrogationem in cap. 6. Ioannis, quia ipsi responsum ibi datum de manducatione spirituali, nunc volunt traducere ad hanc sacramentalem, quam tamē aliam ab illa ponunt. Pro nobis itaque facit ea interrogatio & responsio, sed istis nihil prodest, qui aliam ab illa spirituali manducationem confingunt, istam scilicet, de qua modo agimus.

Responsio

26 Consequuntur alia incommoda, atq; absurda, istorum fictionem. Nam Christus dicebat: Volo vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus: atque apostolis identidem dixit, & in Apocalyp. legitur de quibusdam martyribus, Sequuntur eum quocunque ierit. Vnde concluderetur in Eucharistia non solum transubstantiationem ponendam in corpus Christi, sed in omnes sanctos. Quod si illis displicet, Christum relinquant in cœlo cū sanctis suis, alioquin illum sequentur per concomitantiam. At dicunt, illum quoq; in cœlo sinimus, visibilem & in sua maiestate ac

gloria,

gloria, hic tamen in Sacramento inuisibilem ponimus. Et quæ obijciuntur de comitatu Sanctorum & Martyrum vera sunt, quoad Christum, prout in cœlo est visibilis in sua gloria & maiestate. Ruinoso fundamento innititur hæc responsio, nam accipit idem corpus Christi simul esse in multis locis, quod patres negant: Accipit Christum esse nobiscum quoad corpus et carnem, cum ille dixerit quo adhæc se alium missurum loco suo, scilicet spiritum sanctum.

Neque possunt effugere, Christum habuisse duo corpora, quandoquidem in cœna cum pane accepisset in manibus suis, si is fuisset transsubstantiatus in corpus eius, tamen corpus suum ipsemet gestasset suo corpore, oporteret q; concedere idem corpus gestans, & corpus gestatum, cum autem idem agens et patiens, respectu eiusdem, pro eodem tempore esse non possit. Et ita videmus in quæ absurda se conijciant. Solent adducere Augustin. in Psal. qui dixerit, Christum gestasse se ipsum manibus suis. Sed si locus respiciatur

27 Quomodo Christus gestet seipsum & manducet seipsum.

Obiectio.

Responsio

qui est in septuagesimum tertium psalmum, scribitur, quod ferebat semetipsum manibus suis quodammodo, atque id nos concedimus quia gestabat in manibus suis corporis sui Sacramentum, non autem propriè ac realiter corpus suum. Adde, quia CHRISTVS *communicauit cum Apostolis, consequi, quod seipsum manducauerit. Verum consueuerunt respondere. Ista sunt exercitia nostræ fidei. Sed occurrimus nos habere longè alias scripturæ sententias, in quibus fides nostra se exerceat, quàm in his quæ homines confinxerunt. Credimus incarnatum filium Dei ex virgine, natum, passum pro nobis, & mortuum, excitatum ab inferis, & in cœlos assumptum, et complura huius generis, in quibus abundè satis fides nostra se exercet.*

Obiectio.

Responsio

Vera fidei nostræ exercitia.

28 *Cunque istam transsubstantiationem sensus non attingat, ratio non intelligat, experientia non doceat, quomodo percipietur? Scio dices, per fidem. At si fide sit agendum, ipsa sine verbo Dei non poterit haberi,*

ri, & eo prorsus destituimini.

Præterea, cum Christus hoc sacramentum fecerit duarum partium, nimirum corporis et sanguinis, ex eo satis patet, rem non esse accipiendam per hanc transsubstantiationem, quia in corpore CHRISTI reali & carnali, hæc non diuiduntur. Sed habent suffugium, & aiunt tantum in vna contineri istarum partium, atque in altera. 29 Obiectio.

Nos quidem audimus illos hoc asserere, cæterum scriptura verba hoc non docent, sed tantum ad panem mentio fit corporis, et ad calicem solùmodo commemoratur sanguis. Responsio

Respondent quoad panem, vi verborum, transsubstantiatio fit in corpus Christi, vel in carnem Christi propriè, et per se, per concomitantiam vero sequitur & sanguis & anima, & diuinitas. Atq; de calice identidem dicunt, quòd efficacia verbornm, primum ac propriè transsubstantiatio fit in sanguinem, sed per concomitantiam & corpus habetur, et anima, et diuinitas. Et hac sua argutia Christum faciunt minus prouidũ, qui Obiectio. Concomitantia quã ponũt qua le figmentum. Responsio

duabus partibus nihil plus tradiderit, quàm in vna earum seorsim contineatur. Et ex fictione sua natum est, vt postea sacramentum diuiserint, & dando Laicis tantummodo alteram partem, persuaserint eis, quòd tã tundem habeant, atque si ambas partes accepissent. Addas quòd isto suo commento, se nestram patefaciunt multis dogmatibus suppositituijs, quia nullum est dogma, cui non possint infinita annectere per suam concomitantiam. Et sequeretur, vt supra dicebamus, omnes sanctos huic sacramento adesse cum semper comitentur Christum. Sed vnica ratio, qua eos depellimus, est, ipsos hoc docere, Scripturam verò non ista loqui.

Cõtra concomitantiam transsubstantiationis.

p 80

Consecutum est etiam transsubstantiationem, aliud falsum absurdumq; dogma, quòd putarunt post sacramentorũ perceptionem, adhuc manere sacramentum, & panem, siue panis species realiter atq; veré continere in se corpus Christi, quod non ita se habere ostendimus, per alia sacramenta vbi totum in actione consistit, qua sublata non est

Extrausum sacramenta non permanent.

amplius

amplius ſacramentum. In baptiſmo patet, cum quis tinctus aut perfuſus aqua fuerit, per verba Domini, tum ceſſat ſacramentũ eſſe. Quod idem in circumciſione fuit, nam & id ſacramentum in actione ſitum erat. Neque dedignabor accipere ea quæ ab illis appellantur ſacramẽta, vt eſt confirmatio, extrema vnctio, pœnitentia, & alia generis eiuſdem, quæ omnia videmus in actione tantum habere locum. At ſolent dicere eſſe excipiendum hoc ſacramentum Euchariſtiæ. Id autem aduerſarij quàm dialecticè dicant, facile intelligitur, quando omnes partes inductionis conceduntur, & ſolummodo ponitur inſtantia de re controuerſa, quis non videat id perperam fieri? & ſolum ad eludendum argumentum? Nam illud eſt quo dammodo præmiſſas dare, & negare concluſionem. Obiectio. Reſponſio

Et propter hæc inaudita portenta huius metamorphoſeos, impeditur præcipuus & commendatus nobis finis à Chriſto in ſacris literis, nimirum commemoratio Chriſti & 31 Finis præcipuus Euchariſtiæ impeditur per tranſ-

substantiationem.

mortis eius. Nam hic tota mens & animus istorum occupatur in credenda transsubstantiatione. Imo videas nonnullos sacrificos, qui cum venitur ad communionem, hoc tantummodo vrgent & inculcant credendum, praeteritis alijs quae magis necessaria sunt.

Per eandem impeditam est frequens communio.

Atque ob hanc fictionem, reddita est communio infrequentior, quia illa persuasa, ceperunt homines cogitare. Si Christus corporaliter & carnaliter ibi est opertus accidentibus, ibimus saltem vsque ad templum, videbimus, adorabimus, inuocabimus, candelas accendemus, & alia huius generis, quibus putarunt se posse gratificari Christo. Quod si nō opinati essent, sed existimassent, ut reuera est, tantummodo sacramentū esse, intellexissent inde se non habituros commodum, nisi communicassent, & eorum animi fuissent magis ad communionem accensi, quòd verè est satisfacere institutioni Christi.

33 *Oportet deinde reuocare in animum, transiuisse tempus humilitatis & demissionis*

sionis

nis Christi, iam in cœlis regnat, & nomen habet, quod est super omne nomen. Quid itaq; oportuit per hanc trãssubstãtiationem illum rursus demittere, quoad corpus, in fauces, & ventriculos communicãtum? Scio dicunt, non læditur, nullam contrahit immũditiem: Fatebor, attamen parum decet, vt (quemadmodum dicunt) tam diu sub illis accidentibus detineatur, quoad ipsa manent integra, quæ cũ dissoluta fuerint, corpus Christi aiunt auolare. Quò fit, ut eum cogant quotidié, & potißimum vsq; ad horas meridianas, perpetuo deuolare, & auolare: Sed inquiunt has cogitationes oportet facessere, cum ipsi eas suggerant, sua carnali transsubstantiatione. Si possent adduci vt omnia spiritualiter illic ageremus, nulla esset huiusmodi cogitatio.

Obiectio, Responsio

Corpus Cpristi demittitur parũ honeste Obiectio.

Responsio

Dumq́; ponunt suum hoc naturale et carnale corpus præsens, num id faciunt vt penetret animum nostrum? vel vt insinuet se in corpus? in animum dicere non possunt, quia nil ibi carnaliter & corporaliter acci- 34

pitur. Quod si voluerint corpus ab eo penetrari, interrogamus, quid hoc illi faciet? Respondebunt, vt homo sanctificetur. Sed par est, vt sanctificatio ab animo incipiat, non à corpore. Dicunt, quædam vis & efficacia imprimitur, per quam & animus redditur melior, & corpus quoque confirmatur. At si de virtute agatur, hoc per transsubstantiationem fieri, non est necessariũ, cum absque ea id haberi possit.

Sanctificatio incipit ab animo non à corpore

Obiectio.

Responsio

36 Et veteres, cum traderent sacramenti huius naturam, dixerunt, incruentam hostiam hic sacrificari, quod parum conueniet, si verum & corporalem sanguinem haberi constituamus. Neque satisfacit quod aiunt, hostiam esse incruentam, quia hic Christus non occidatur, neque violenter sanguis eius educatur. Nam etsi ista non fiant, attamen sine sanguine (vt est crassa eorum imaginatio) res non peragitur. Vnde liquet, patres ideò sic locutos, quod hic veræ hostiæ tãtum memoriam voluerint, eiusq; spiritualem perceptionem, quæ fide habeatur.

Incruenta hostia.

Obiectio.

Responsio

c Solent

Solent præterea dicere, corpus & sanguinẽ Christi velari ac operiri accidentibus panis & vini, ne crudis carnibus videamur vesci, cruore sanguinéque potari. Sed istos homines non putarim dicere, vt cunq; rem pingant, aut colorent, si eorum transsubstantiatio vera sit, nos non vesci crudis carnibus. Quandoquidem vt coquantur, neq; per eos, neq; per scripturas inducitur ratio. Et tamen scriptum est de agno paschali, qui fuit sacramenti huius figura, vt nihil crudum ex eo comederetur. 37

Carne cruda vescuntur.

Ad hæc, videmus Christum in Euchari-stia sacramentum instituisse, quò fit, vt ibi omnia sint accipienda sacramentaliter, neque requiritur, vt in sacramentis plus aut donetur, aut exigatur, quam sacramentalis ratio postulet. 38

In sacramẽtis omnia par est ut accipiãtur sacramentaliter.

Deinde si expendamus quid in ipsa cœna postrema Christus egerit, rem facile deprehendemus, corpus suum dedisse asseritur. Si interrogamus vlterius, quale dedit, se expedire non possunt. Videntur aliqui dicere, eũ 39

dediſſe quale habuit, nimirum paſsibile, & mortale. Cæterum tale corpus cum illis conditionibus quas tunc habuit, non potuit carnaliter, vt iſti ſomniant, contineri in paruis fruſtulis panis: Verum alij, qui ſibi videntur prudentiores, aiunt Chriſtum in ſeipſo corpus et mortale & paſsibile habuiſſe, ſed in pane dediſſe glorificatũ, et ſpirituale corpus. Tũc facit aduerſus iſtos quod legimus in verbis Domini, Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis traditur: et ſanguis qui pro vobis effundetur, vbi aperte cõtrahit ſermonẽ, et ad corpus quod tũc habuit, et ad ſanguinẽ quo ea hora vtebatur. Nam iſta glorificata & impaſsibilia nõ accepit, niſi poſt reſurrectionem. Sed fac ita eſſe vt ponunt. Argumentamur, Conditiones corporis paſsibilis et glorificati opponuntur, ita vt non poſsint ſimul eſſe, atq; eodem tempore in eodem ſubiecto, vnde ſequitur, ſi vultis eas poni in corpore Chriſti pro eodem tempore, vt geminum faciatis corpus Chriſti.

An glorificatum corpus an paſsibile dederit Chriſtꝰ.

40 Experientia & hiſtoria nos docet, non dan-

dandam transſubſtantiationem, quia Victorem Pontificem Romanum perüſſe ſcribunt, hauſto veneno ex calice. Atque Henricus Imperator venenum hauſit ex pane accepto in Euchariſtia. Si omnia illic transſubſtantiantur, & ſolum accidentia ſuperſunt, qui potuerunt iſta fieri?

Scimus ſacramenta quælibet, vt ipſimet aduerſarij loquuntur, materia & forma cõſtare, Materiam dicunt ſymbola, vel elementa, formam verò id quod adijcitur verbo. Quod autem componitur ex duobus, non debet abijcere alterum, vt nihil ex eo niſi accidentia ſuperſint, alioquin compoſitionis & coniunctionis natura non ſeruaretur, ideo concluditur panis & vini ſubſtãtias remanere. 42

Materia ſacramenti non poteſt abijci.

Dumq; non animaduertunt, corpus Chriſti exuitur per eos, quantitate, ſitu. & diſtantia partium, ita vt cogatur eſſe totum eius corpus in minima panis particula. 42

Corpus Chriſti exſpoliant quãtitate.

Sacramentum hoc non tantum dicitur Chriſti corporis ſeruatoris noſtri, ſed etiam 43

Panis non transſubſtãtiatur ĩ corpus myſticum, ergo nec in corpus Chriſti

corporis myſtici. Vnde Paulus in hac 1. epiſt. ad Corinth. dicebat: Vos corpus Chriſti eſtis. Itémque: Multi ſumus vnus panis, et vnum corpus, qui de vno pane participamus. Et Auguſt. 22. de ciuit. Dei, cap. 10. Chriſtianos, inquit non offerre ſacrificium martyribus. Sacrificium vero eſt corpus Chriſti., quod martyribus non offertur, quia ipſi id ſunt, uidelicet corpus Chriſti. Itaque cum hoc ſacramentum ſit vtriuſq; corporis, quemadmodum non ponunt, vt panis trãſſubſtantietur in corpus myſticum, ita non exigetur, vt verè & propriè conuertatur in corpus Domini, cum vtriuſq; corporis ex æquo prædicetur ſacramentum.

Impij non ſumunt ueru corpus Chriſti.

44 *Et ſequeretur ex iſta opinione, tam fideles quam infideles, recipere corpus Domini, quod à me alibi eſt improbatum duplici argumento. Primum, quod cum Chriſti corpus non auellatur à ſpiritu Chriſti, conſequeretur impios ſpiritum Chriſti percipere. Deinde, cum infideles mortui ſunt, quoad interiorem hominem, omnino carent inſtrumento*

quo

quo spiritualia suscipiant. Et Augustinus aperte dixit, non comedere corpus Christi, nisi eos qui sunt ex eius corpore. Et Hieronimus lib. 4. in Hieremiam cap. 22. Quodq; infert non comedent & bibent, subauditur corpus & sanguinem saluatoris. Loquebatur autem de hæreticis. Idemq; in Isaiam ca 66. Dum non sunt sancti corpore & spiritu, nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem eius. Et complura huiusmodi loca habentur ex patribus.

Et quod sæpenumero hic multa miracula nobis obtendunt, non tam facile credendum est, quia non solent miracula induci, nisi quòd sint res nouæ & admirandæ, ex quorum insueto euentu, pondus adijciatur verbo Dei, etenim ibi homines admiratione perculluntur, & facile induci possunt ad Christi dogmata complectenda. Sed hic nil visibile immutatur, & nihil est quod admirationem excitare valeat. Vnde frustra videntur à miraculis opem implorare. Virgo sanè concipiebat ex spiritu sancto, sed hoc ipsa 45

Hic frustra à miraculis opem implorant

fieri ſenſit. Et ſi quando ſunt aliqui miraculo conuerſi ad Chriſtum, ſenſerunt animum ſuum, & vitam immutari à priſtina conuerſatione. Aſt hic nihil ſentitur horum miraculorum quæ confingunt, tantum prædicantur, ſed nulla ratione, vel experientia, vel ſcriptura, probari poſſunt.

46 Addas iam dictis, eodem modo ſe habere fractionem panis ad mortem, & paſſionem Chriſti, quo ſe habet panis ad corpus, fractio autem (vt aſſeuerant ipſi quoq;) ſacramentum eſt, & ſymbolum paſſionis Chriſti, nec tamen in eum tranſſubſtantiatur, ita vt vere illam, ac realiter præſentem faciat, igitur neq; panis mutabitur ita in corpus, vt illud præſens eſſe carnaliter efficiat, atq; ita cum iſta ſententia non habeat niſi λογομαχίας & labyrinthos inextricabiles, ad pietatem non conducit.

Sed nunc de patribus videndum eſt an ita ſentiant.

47 IRENAEVS aduerſus hæreticos Valentinianos, Panis terrenus, inquit, accepta

Irenæus.

vocа-

vocatione à uerbo Dei, non amplius est communis panis, sed efficitur Eucharistia, quæ constat ex duabus rebus, nimirum terrena & cœlesti. In primis non negat Eucharistiã panem esse, nisi illum communem feceris. Postea dicit, ex duabus rebus constare, quarum vna terrestris est, vt panis, altera cœlestis, vt corpus Christi. Atq; vt ex vna parte retinetur veritas, scilicet quoad corpus Domini, ita in altera est conseruanda, videlicet quoad panem. Et addit per similitudinem, ita corpora nostra illam sumentia, non sunt amplius corruptibilia.

Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, aiit, Deum panem creaturam suam non abiecisse, quandoquidem illo corpus suum repræsentauit. Et libro 4. contra eundem Marcionem: Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non esset, nisi veritatis esset corpus. Tertullianus.

Origenes in Numeros homil. 16. Bibere Origenes.

dicimus sanguinem Christi, non solùm ritu sacramentorùm, sed & cum sermones eius recipimus. Quod idem & Hieronymus quã doq; scripsit super Ecclesiasten capit. 3. Idem Origenes in Matthæum cap. 26. Panis iste, quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animorum. In Leuiticum homilia. 7. Est enim & in Euangelij litera quæ occidit, non solum in veteri testamento. Si enim secundum literam sequaris quod dictum est, Nisi manducaueritis carnem meam, & quæ sequuntur. Et in eodem libro homil. 9. Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem verbi, & audi ipsum tibi dicentem. Quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effunditur. Origenes in Matth. cap. 15. Panis sanctificatus iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eijcitur. Et mox: Nec materia panis, sed super illum dictus sermo, est qui prodest, non indigne domino, comedenti illum. Idem contra Celsum libro octauo: Vbi pro collatis in nos beneficijs, gratias dixi-

mus,

mus, oblatis panibus vescimur.

Cyprianus epist. 6. primi libri ad Magnũ dicit: Dominus de multorum granorum adunatione congestum corpus suum panem vocat, & vinum suum sanguinem de botris atque acinis pluribus expressum. Dumq; interpretatur orationem dominicam, corpus Domini panem appellat: Et in sermone de cœna Domini inquit: Nos non acuere dentem, sed tantum syncera fide panem frangere & mãducare. In sermone de chrismate apertè dicit, sacramenta habere nomina earum rerum, quas significant. Quæ duo Augustinus videtur ab eo mutuatus. Postremũ in epist. ad Bonifacium. Alterum vero cum inquit, Quid paras dentem aut ventrem? crede & mauducasti, tract. 25. super Ioan. Sed idem Cyprianus epist. 3. lib. 2. ad Cæcilium, In vino inquit demonstrari sanguinem Domini. Et contra Aquarios asserit, non posse videri adesse sanguinem Christi in calice, si vinum ibi esse desinat, quod fit per istorum transsubstantiationem. Et in sermone de cœna Do Cyprian.

mini, scribit mutari symbola in corpus Christi, sed ita vt simile accipiat ab ipsomet Christo, in quo natura humana apparebat, et diuina latebat. Ex quo simili vides eum velle, vt in Christo manserunt duo naturæ, ita & in hoc sacramento seruatas esse. Cyprianus item epist. 3. lib. 2. Quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, ni si utrumque adunatum fuerit, & copulatũ, & panis vnius compage solidatum, quo et ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus.

Athanasius. *Et Athanasius exponens illa verba, Si quis dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui vero contra spiritum sanctum, neq; in hoc sæculo, neq; in altero remittetur ei, scribit: Et quantum esset corpus ad hoc, vt totus mundus ex eo ederet? sed spiritualiter infert rem accipiendam esse, et id circo Dominum eo loco mentionem fecisse ascensionis suæ aduersus Capernaitas.*

Basilius. *Basilius in liturgia panem appellat ἀντίτυπον corporis CHRISTI, atque id*

post

post verba consecrationis.

Dionysius de Hierarchia ecclesiastica Dionysius
cap. 3. Pontifex opertum panem, & indiuiduum aperit, & in frusta concidens.

Ambrosius in expositione epist. 1. ad Co- Ambros.
rinthios: Cum agitur vt hoc fiat in memoriam Christi, & mortis eius, inquit, nos in edendo & potando, carnem & sanguinem Christi, quæ oblata sunt, significamus. Atque idem circa eundem locum, nos ait in typum sanguinis Christi accipere in calicem mysticum. Et lib. 4. cap. 4. vbi ponit mutationem symbolorum, tractat etiam mutationem nostram in CHRISTVM & tamen trassubstantiatio non ponitur in his qui Sacramentum accipiunt. Idemq; eodem de sacramentis lib. 4. cap. 4. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi, consecratione. Et mox, Si tanta vis est in sermone Domini, vt incipiant esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?

Hieronymus. *Hieronymus apertè super Matthæum inquit, pane ac vino repræsentatum esse corpus ac sanguinem Domini.*

Chrysostomus. in 2. Cor. hom. 20. *Chrysostomus super Epistola posteriore ad Corinthios, inquit non solum quod nobis proponitur in mensa esse corpus Christi, sed etiam pauperes, quibus tenemur benefacere, quandoquidem ille idem qui ait, Hoc est corpus meum, verbo suo item dixit se beneficio affici, & egere in pauperibus. Idem in homilia. 11. super Matthæum opere quod dicitur Imperfectum, inquit in sanctis vasis non esse corpus Christi & sanguinem Christi, sed mysterium corporis & sanguinis Christi. Idem in cap. 11. 2. ad Corint. homil. 27. Quemadmodum Christus et in pane & in calice, in meam commemorationem facite, dixit. Idem in Psalm. 22. Parasti in conspectu meo mensam. Vt quotidiè in similitudinem corporis & sanguinis Christi panem & vinum secundum ordinem Melchisedech, nobis ostenderet in sacramento.*

Emisenus. *Et Emisenus, quem citant de consec. dist.*

2. Vi-

2. Videturq; ponere mutationem symbolorũ, idem ipse meminit mutationis nostræ in Christum.

Augustinus complura habet hac de re testimonia super Psalmo 89. Non hoc corpus quod videtis comesturi estis, nec bibituri hũc sanguinem, quem sunt effusuri. Mysterium est quod vobis dico, quod si spiritualiter intelligatur, viuificabit. De Trinitate lib. 3. capit 10. Panis ad hoc factus, in sacramento accipiendo consumitur. Neque est quod Roffensis hoc dictum conetur trahere ad panes propositionis. Nam eius interpretationem aliâs ostendimus non conuenire nonnullis argumentis. Primo, quia si facilem sensum sequaris, & eum qui prima fronte tibi se offert, quemq; verba præ se ferunt, apertè videbis sermonem fieri de Eucharistia. Et Erasmus in libris August. quos emendauit in margine asscripsit, Eucharistia. Deinde paulò pòst in eodem capite, dumq; idem tractat, Eucharistiæ mentionem tam apertè facit, vt etiam aduersarius id negare non possit. Ac Augustin.

de eadem Eucharistia scripserat supra in eodem libro cap. 4. Cum inchoaret eadem tractationem. His addas, expressè in his verbis quæ tractamus, apertè nominamus sacramentum, quod si voluisset communiter accipi, non minus conueniebat his quæ antea recensuerat, nimirum serpenti æneo, & lapidi erecto per Iacobum, quàm pani propositionum. Sed in illis hanc vocem sacramenti non expressit, quam postea, vt intelligamus eum de Eucharistia loqui, noluit supressam. Postremò dicit, Panis ad hoc factus, in accipiendo sacramento consumitur, quod panibus propositionis minimè conuenit. Non enim ad hoc fiebant, vt comederentur, sed vt dispositi in mensa, coram Domino manerent. Vnde פנים hebraicè dicti sunt, Temere autem, siue per accidens est postea consequutum, vt manducarentur, ne scilicet coram Domino putrescerent. Ob id enim mutabantur singula quaq; hebdomada. Cumq; semel Deo dicati essent, hunc honorem illis exhiberi voluit, vt à sacerdotibus manducarentur.

Ponim.

carentur. Sed panis nostræ Eucharistiæ verè adhoc est factus vt in accipiendo sacramento absumatur. Dictis q; iam argumentis vnum addo quod robustius est cæteris. Inquit enim Aug. consumitur tempore præsenti, non autem consumebatur, quod fieri oportuit, si de veteris testamenti figura & ceremonia locutus esset. De fide ad Petrũ cap. 19. appellat sacramentum panis et vini. De memoria Christi et mortis eius, abũde eundẽ Petrũ in fide instituit, huius uero transsubstantiationis nec vllũ verbũ facit, quam isti hodiè tãtopere vrgẽt. Contra Faustũ ait li. 20. ca. 21. Carnem et sanguinẽ Christi uictimarũ similitudine, fuisse nobis in veteri testamẽto promissam, in cruce reipsa exhibitã, sed in sacramẽto per memoriã celebrari. Et 21. de ci. Dei. c. 25. apertè asserit impios rẽ sacramẽti, i. corpus Christi nõ comedere. Nã inquit non est existimandus comedere corpus Christi, qui non est in corpore Christi, et in quo Christ⁹ nõ manet, neq; ipsemet manet in eo. Atq; super Ioã. tra. 20. habet cõsimilia. In 30. uerò

ait, Corpus Christi certo quodam in loco esse in cœlo, veritatem vero eius vbiq; diffusam, quod ideo dicit quia veritas res est spiritualis sempérque fidelibus adest. Et communicantes vbicunq; sint, Christum fatentur & credunt, verum habuisse corpus, et non fictitium, vt hæretici sentiebant. Contra Adimantum Manichæum cap. 12. scribit: Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum tamen daret signum corporis sui. Neque valet si dixeris, & signum tradidit, & rem, quia non hoc spectauit Augustinus, sed ostendere voluit locutionem esse tropicam, & similem alteri, quam inducit ex Deut. Sanguis est anima. Idcirco inquit, non dubitauit Dominus, quia in tropis aliquid audemus. De doctrina Christiana lib. 3. cap. 16. docuit figuratam esse locutionem, quæ habetur 6. Ioan. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & quæ sequuntur, quia flagitium videtur præcipi. Nam grauius est carnem hominis comedere, quã illum interficere, & sanguinem bibere quã effun-

Admiscetur locus q est in li. 2. cõtra ad

effundere. Ideo inquit figura est præcipiens, ut suauiter & vtiliter in memoria recondamus, carnem Christi pro nobis fuisse crucifixam, & vulneratam. In Epistola ad Bonifacium dixit apertissimè, sacramenta nomen habere earum rerum, quarum sacramẽta essent & nominatim expressit sacramentũ corporis Christi, esse corpus Christi quodammodo, & subdit sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est. Atque id totum scripsit vt indicaret, baptismum esse sacramentum fidei, & idcirco posse dici, fidem esse, & paruulos baptizatos fidem habere, eo quod huiusmodi sacramentum percipiant. Et ne quis dicat signa esse præsentis rei, vt isti loquuntur, substantialiter, expendantur huius patris inducta similia, quod scilicet dicamus, quando sumus prope Pascha, crastinam aut perendinam Domini passionem, & die dominico Christus resurrexit, cum tamen ista nunc minimè sint præsentia, & longè antea facta fuerint, deinde hic baptismũ paruulorum asserit fidem esse, quam

uersarium legis & prophetarum cap. 9.

tamen præsentem paruuli non habent. Quin & idem, vt habetur de consecratione dist. 2. cap. Interrogo vos. eiusdem negligentiæ peccatum ait esse, sinere verbum quod prædicatur, animis nostris excidere, et partem sacramẽti in terram cadere, quod si daretur hæc transsubstantiatio parum conueniret, longè enim videretur absurdius, ipsum Christi corpus cadere, aut conculcari, quam aliquam partem verborum sacrorũ audire parũ attente. In Psal. præterea 8. inquit Christũ adhibuisse conuiuio Iudã, cũ figurã corporis sui cõmendauit: Solẽt dicere figurã aut signũ in hoc sacramento corpus Christi velatũ accidentibus esse suimet, vt pendebat in cruce corpus exanime atq; exãgue. Et sanguinem sub accidentibus vini latentem, figuram & signum esse effusi sanguinis in ara crucis. Sed quis non uideat istorum figmenta inania esse? Nã signũ et figura poni debet, quæ sit sensibilis, et magis nota, quàm sit res quæ significatur. Idcirco magister Senten. ex Augustino sacramentum definiuit, quòd esset visibile

bile signum inuisibilis gratiæ. Cæterum corpus Christi tectum accidentibus (vt ipsi ponunt) æque obscurum est, atq; illud quod in cruce pependit, imò si liceat verũ dicere, magis ignotum et obscurũ, quàm illud sit quod significatur, quæ sunt contra naturã et signi, et figuræ. Facilius enim à nobis et cognoscitur, et cogitatur, corpꝰ, quomodo pepẽdit in cruce, quàm ut statuitur, ab eis ĩ eucharistia.

Leo Papa in epist. ad Clerum & plebem Constantinopolitanã scribit hanc distributionem mysticam esse, spiritualem alimoniam, & cœlestem virtutem, nos hic accipere, vt transeamus in carnem Christi qui pro nobis carnem nostram accepit. Leo Papa.

Cyrillus lib. 4. cap. 14. super Ioannem, sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit dicens: Accipite. Idem in epistola ad Calosyrium, Decebat ergo eum nostris vniri corporibus quodammodo per sacram eius carnem, & pretiosum eius sanguinem, quæ accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Cyrillus.

Nunc producemus Theodoritum qui Cyri fuit Episcopus, vixit Cyrilli tempore, & in synodo Ephesina fuit atq; Chalcedonensi, habitusq; est eruditissimus, atque eloquentissimus. Cumq; in Ephesina synodo contigisset dissidium inter Ioannem patriarcham Antiochenum & Cyrillum Alexandrinũ, visus est Theodorîtus adhærere Antiocheno, sed tamen res est composita, & in synodo Chalcedonensi fuit agnitus Theodorîtus vt vir doctissimus, & sanctum Christi ecclesiæ membrum, imò libris quos conscripsit ex professo aduersatur Nestorio, & contra ipsum nominatim agit. Liber est Romæ impressus. Viderũtq; Papistæ illum apertissimé aduersari transsubstantiationi, & excusarunt duplici nomine. Primum, quòd ecclesia ista de re nondum pronunciauerat, quasi nos quæramus, quidnam Papa cum suis Cardinalibus, vel Constantiæ, vel in synodo, vbi fuit condemnatus Berengarius, statuerint. Et non potius, quidnam apud veterem ecclesiam & prædicatum & creditum fuerit.

Deinde

Deinde aiunt istum virum scribendo aduersus hæreticos, cum de mysterijs ageret, nimium declinasse in alteram partem, & sic aduersatum esse transsubstantiationi, quò magis aduersarij conuincerentur. Sed quam friuola sit hæc excusatio potest ex contextu scriptoris patere, vbi non videas esse vnius aut alterius verbi lapsum, sed totum argumentum atq; neruus petitur à natura sacramenti, ita vt si admisceas transsubstantiationẽ nihil concludatur, imò hæretici palmã auferant. Addunt eum de Eucharistia honorificentius, interdum loqui in hoc eodem libro, sed omnibus inspectis nusquam tam honorificè loquitur vt constitutæ iam nostræ sententiæ aduersetur. Contra illos agit qui Christum habuisse verum corpus inficiabãtur, & aiebant corpus eius tempore ascensionis prorsus in naturam diuinam fuisse conuersum. Primum inducit Patriarchæ Iacobi vaticinium vt sibi præstruat viam ad argumentum deducendum ex Sacramentis. Verba hæc sunt.

ΠΛΥΝΕΙ ἐν οἴνῳ τὴν στολὴν αὐτοῦ καὶ ἐν αἵματι σταφυλῆς τὴν περιβολὴν αὐτοῦ. *Interrogatq; rursus Orthodoxus:* Οἶσθ' ὅτι ἄμπελον ὁ κύριος ἑαυτὸν προσηγόρευσεν, *& subdit.* αἷμα ἄρα σταφυλῆς τὸ τοῦ σωτῆρος, προσηγόρευσεν αἷμα. *et paulo post.* ὥσπερ γὰρ ἡμεῖς τὸν μυστικὸν τῆς ἀμπέλου καρπὸν μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, αἷμα δεσποτικὸν ὀνομάζομεν. οὕτω τῆς ἀληθινῆς ἀμπέλου τὸ αἷμα. *Ac rursus.* οἶσθ' ὅτι ἄρτον ὁ θεὸς τὸ οἰκεῖον προσηγόρευσέ σῶμα; *& sequitur.* καὶ ἑτέρωθι δὲ τὴν σάρκα, σῖτον ὠνόμασεν; *Et ad sacramenta accedens, ita dicit.* Ἐν δέ γε τῇ τῶν μυστηρίων παραδόσει, σῶμα τὸν ἄρτον ἐκάλεσε καὶ αἷμα τὸ κρᾶμα. *Et subdit ea quæ superius ego docui de conuersione propositionum vel immutatione nominum. in Ioan. 6. cap. & in postrema cœna Domini ita vt idem & tunc & nunc sit actum nisi quod inuersa sunt nomina, & transmutatæ propositiones vnde sic dicit:* ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐν ἤλλαξε τὰ ὀνόματα. καὶ τοῦ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα. τῷ

δὲ

δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάζας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν. *Quærit hæreticus quæ sit ista causa immutationis nominum, vt ita symbola nomina rerum accipiant, & res nomina symbolorum. Orthodoxus declarat luculenter, quid habeat vtilitatis hæc transnominatio. Hæreticus primum dicit:* Ἐβουλόμην δὲ τὴν αἰτίαν μαθεῖν τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς. *Orthodoxus respõdet.* ἐβουλήθη γὰρ οὗ τῶν θείων μυστηρίων μεταλαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. *Et mox:* οὕτως τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικὼς. *Hic habes nullam esse transsubstantiationem, sed tantum mutari symbola quoad gratiam, quòd sacramenta fiunt. concludit postea suam argumentationem, quòd hæc symbola sunt corporis, & non diuinitatis, vtq́ non mutantur in corpus Christi, ita*

etiam Christi corpus verè corpus est, & in naturam diuinam minimè transit. Atq; ista habentur, dialogo primo qui dicitur immutabilis, græcè ἄτρεπτος pagina 8. In secundo vero dialogo qui dicitur ἀσύγχυτος pagina 38. ita scribit de mysterijs, quomodo se habeant erga corpus Christi: Εἰτοίνυν τοῦ ὄντος σώματος ἀντίτυπα ἐστὶ, τὰ θεία μυστήρια. σῶμα ἄρα ἐστὶ καὶ νῦν τοῦ δεσπότου τὸ σῶμα. οὐκ εἰς θεότητος φύσιν μεταβληθὲν, ἀλλὰ θείας δόξης ἀναπλησθὲν. *Pergit hæreticos interrogare.* τί καλεῖς τὸ προσφερόμενον δῶρον πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως; *Respondet orthodoxus.* τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφὴν. *Rursus quærit socius, qui personam hæretici sustinet.* τὸ δὲ ἕτερον σύμβολον πῶς ὀνομάζομεν; *Respondet orthodoxus:* κοινὸν καὶ τοῦτ' ὄνομα, πόματος εἶδος σημαῖνον. *vrget adhuc socius:* μετὰ δὲ γε τὸν ἁγιασμὸν, πῶς ταῦτα προσαγορεύεις; *Respondet orthodoxus:* σῶμα χριστοῦ, καὶ αἷμα χριστοῦ. *Ex interrogatis concludit hæreticus argumentationem suam, atque vult ex cõuersione symbolorum*

lorum in corpus Christi inferre etiam conuersionem corporis Christi in naturam diuinam, & inquit, Ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος ἄλλαμεν ἐστὶ πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως. μετὰ δὲ γε τὴν ἐπικλήσιν μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται. οὕτω τὸ δεσποτικὸν σῶμα μετὰ τὴν ἀνάληψιν, εἰς τὴν οὐσίαν μετεβλήθη τὴν θείαν. *Retorquet orthodoxus argumentum in authorem, & inquit, Imò potius ex sacramentis concludendum esse corpus Christi, non transiuisse in diuinitatem, quia panis & vinum per sanctificationem minime naturam mutant, sed tantum illis adijcitur gratia, quemadmodum corpori, Christi adiuncta est immortalitas, & inquit,* Ἐάλως αἷς ὑφήνας ἄρκυσιν, οὐ δὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος. καὶ τοῦ εἴδους. καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ οἷα καὶ πρότερον ἦν, νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. παράθες τοίνυν τῷ

ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα, καὶ ὄψει τὴν ὁμοιότητα, χρὴ γὰρ ἐοικέναι τῇ ἀληθείᾳ τὸν τύπον, καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα τὸ πρότερον εἶδος ἔχει, καὶ σχῆμα, καὶ περιγραφὴν, καὶ ἁπαξαπλῶς εἰπεῖν τὴν τοῦ σώματος οὐσίαν, ἀθάνατον δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν γεγονὸς, καὶ κρεῖττον φθορᾶς. καὶ τοῦ ἐκ δεξιῶν ἠξιόθη καθέδρας, καὶ παρὰ πάσης προσκυνεῖται τῆς κτίσεως, ἄτε δὴ σῶμα χρηματίζον τοῦ δεσπότου τῆς φύσεως. *Querit socius: Cum panis mutet suam appellationem postquàm est sanctificatus, qui fiat vt corpus in Christo post resurrectionem ad huc appelletur corpus, cum deberet iuxta analogiam sacramentorum, appellari Deus, vt panis dicitur corpus Christi, & ita habet* καὶ μὴν τὸ μυστικὸν σύμβολον, τὴν προτέραν ἀμείβει προσηγορίαν. οὐκέτι γὰρ ὀνομάζεται ὅπερ πρότερον ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ σῶμα προσαγορεύεται. χρὴ τοίνυν καὶ τὴν ἀλήθειαν, θεὸν, ἀλλὰ μὴ σῶμα καλεῖσθαι. *Ad hanc obiectionem respondet orthodoxus, panem sacramẽtalem non tantum appellari corpus Christi, vt nomen panis prorsus amiserit, sed dici panem*

nem vitæ, ita & corpus Christi iam glorificatum, appellari diuinum & viuificum corpus, & inquit, Ἀγνοεῖν μοι δοκεῖς. οὐ γὰρ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄρτος ζωῆς ὀνομάζετε. οὕτως αὐτὸς ὁ κύριος προσηγόρευσε, καὶ αὐτὸ δὲ τὸ σῶμα, θεῖον ὀνομάζομεν σῶμα, καὶ ζωοποιὸν καὶ δεσποτικόν. καὶ κυριακόν, διδάσκοντες, ὡς οὐ κοινόν τινός ἐστιν ἀνθρώπου, ἀλλὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. ὃς θεὸς ἐστὶ καὶ ἄνθρωπος. ἰησοῦς γὰρ χριστὸς χθὲς, καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Quæ omnia si vis latina habere, fusius quidem scripta, & altius repetita, nunc subijciam. ORTHODOXVS. Nostin quod panem Deus proprium corpus suum vocarit? SOD. Noui. OR. Atq; aliâs rursum carnem suam frumẽtum appellarit? SO. Noui et hoc. Audiui enim illũ dicentem: Venit hora vt glorificetur filius hominis. Et nisi granũ frumenti deiectũ in terrã mortuũ fuerit, ipsum solũ manet, si vero mortuũ fuerit, multũ fructũ profert. OR. In ipsa nimirũ mysteriorũ traditiõe, corp⁹ panẽ vocauit, et sanguinẽ poculũ mixtũ? So. Sic sanè nõiauit.

OR. Sed et secundum naturam corpus, corpus vtique suum & sanguis vocari potuerit? SO. Confessum est. OR. Imò vere ipse seruator noster commutauit nomina & corpori quidem symboli nomen dedit: Symbolo verò corporis nomen. Ad eundem item modum, cum seipsum vitem esse dixisset, Sanguinem ipsum symbolum appellauit. SO. Id quidem verè dixisti. Vellem autem & causam discere mutationis nominum. OR. Manifestus est scopus ijs qui sunt initiati sacris. Voluit enim eos, qui diuina mysteria participant, ne ad eorum quæ videntur naturam attendant, sed per nominum mutationem credant illi quæ ex gratia facta est transmutationi. Qui enim naturale corpus suum frumentum & panem vocauit; Atq; item seipsum, vitem nominauit; idem ipse etiam ea quæ videntur symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed adijciens gratiam naturæ? SODALIS, Sanè mysticè dicta sunt mystica.

Et

Et clarè manifestata sunt quæ non sunt omnibus nota. OR. Quandoquidē igitur profitetur & stolam & vestem à Patriarcha dominicum vocari corpus, nósque in sermonem de diuinis mysterijs ingressi sumus. Dicre vera cuius nam symbolum ac typum esse putas, sanctissimam escam illam? Ipsiusne diuinitatis Christi Domini, an vero corporis & sanguinis ipsius? SOD. Sanè eorum ipsorum, quorum & appellationes receperunt. OR. Corporis ne & sanguinis dicis? SO. Sic dico. OR. Verè dixisti. Etenim Dominus sumpto symbolo, non ait, hoc est diuinitas mea, sed hoc est corpus meum. Ac rursum, hoc est sanguis meus. Et aliâs, Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita. SOD. Vera equidem hæc omnia, Diuina enim verba sunt. OR. Porrò si sunt vera, corpus vtiq; habebat Dominus. SO. At ego illum incorporeū esse dico. OR. Sed fateris illū habuisse corp⁹. &c. EX SECVNDO DIALOGO. SODAL. Omnem sanè lapidem mouere,

oportet iuxta prouerbium, vt veritatem assequamur, in primis verò in propositis dogmatibus diuinis. OR. Dic igitur, quorum nam symbola, sunt mystica symbola, quæ à sacrorum ministris, Deo offeruntur? SOD. Corporis & sanguinis domini. ORTHO. Veri corporis, an non veri? SO. Veri. OR. Optime, oportet enim esse imaginis Archetypum, siquidem pictores naturam imitantur, & eorum quæ videntur imagines, pingunt. SOD. Vera dicis. ORT. Si igitur existentis corporis, exemplaria sunt diuina illa mysteria, corpus igitur est etiam nunc, ipsum dominicum corpus, non autem in diuinitatis est naturam commutatum, sed diuina gloria repletum. SOD. Oportune sermonem hunc de diuinis mysterijs mouisti, in de enim tibi ostendam, dominici corporis in alteram naturam commutationem. Respon de igitur ad meas quæstiones. ORTHO. Respondebo. SODAL. Quid vocas munus illud, quod offertur ante sacerdotalem inuocationem? ORTH. Non oportet aperte

perte loqui, est enim verisimile, aliquos non dum initiatos adesse. SODAL. Aenigmatica responsio esto. OR T. Escam ex talibus seminibus. SO. Alterum verò symbolum quomodo nominamus? OR. Commune & hoc nomen, speciem poculi significans. SO. Post sanctificationem quomodo ista appellas? OR. Corpus Christi, & sanguinem Christi. SO. Et credis te accipere corpus & sanguinem Christi? OR. Sanè credo. SO. Quemadmodum ergo corporis & sanguinis dominici symbola, alia sanè sunt ante sacerdotis inuocationem, transmutantur autem post ipsam inuocationem, & alia fiunt: sic et corpus dominicum post assumptionem in diuinam est substantiam transmutatum. ORT. Captus es ijs, quæ tetenderas retibus. Neq; enim post sanctificationem, mystica symbola illa propria sua natura egrediuntur, manent siquidem in priore sua substantia, et figura, & specie, adeoq; & videntur, & palpantur, quemadmodum & antea: Intelliguntur autem quæ facta sunt, & creduntur, & a-

Nota symbola non abijcere naturam pristinam.

dorantur, tanquam ex existentia quæ creduntur. Confer itaque cum archetypo imaginem, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram conuenire cum veritate. Etenim illud ipsum corpus habet sanè priorem suam speciem, & figuram, & circumscriptionem, & (vt simpliciter dicam) etiam ipsam corporis substantiam. Immortale autem factum est post resurrectionem, & supra corruptionem, & dignum habitum est sede, quæ est ad dexteram Dei, & ab omnibus creaturis adoratur, tanquam existens corpus Domini ipsius naturæ. SO. Attamen mysticum illud symbolum, priorem mutat appellationem, neque enim postea nominatur, quod prius vocabatur, sed corpus vocatur. Oportet igitur ipsam veritatem, Deum iam, non autem amplius corpus vocari. OR. Ignarus mihi videris, non enim corpus solùm, sed & panis vitæ vocatur, sic enim Dominus vocauit. Quin & hoc corpus diuinum, corpus vocamus, & viuificum, & herile, & dominicum, docentes, quod non

sit

sit commune cuiusuis hominis corpus, sed domini nostri Iesu Christi, qui Deus est & homo: Iesus enim Christus, heri et hodiè, quod idem ipse etiam in secula.

Chrysostomus ad Cesarium monachum, tempore secundi exilij sui contra Apollinarem & alios, quid diuinitatem & humanitatem in Christo confundebant, habetur in bibliotheca Florentina hæc epistola, licenō sit impressa. Et Deus & homo est Christus: Deus propter impassibilitatem, Homo propter passionem, vnus filius, vnus dominus, idem ipse procùl dubio, vnitarum naturarū, vnam dominationem, vnam potestatē possidens (etiamsi non consubstantiales existūt) & vnaquæque incommixta proprietatis conseruat agnitionem, propter hoc quod incōnfusa sunt duo, Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illud sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis

Chrysostomus.

Exemplar extat apud R. D. Arc. Cantuar.

in ipso permansit, & non duo corpora, sed vnum filij corpus prædicatur. Sic & hæc diuina ἐνιδρυτικὸς, id est, inundantis corporis natura, vnum filium, vnam personam, vtraq; hæc fecerunt.

Hesychius *Hesychius in libro 20. super Leuitic. cap. 8. Propterea carnes cum panibus comedi præcipiens vt nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est.*

Gelasius. *Gelasius aduersus Eutychetem scripsit in sacramento Eucharistiæ, substantiam et naturam panis & vini minime desinere esse, & facit collationem huius sacramenti cum Christo, in quo maneat salua vtraq; natura & diuina & humana, sicuti in hoc sacramento, natura panis & corpus Christi.*

Gregorius *Gregorius in regiſtro, tã azymum quàm fermentatum dum sumimus, vnum corpus domini saluatoris efficimur.*

Bertram. *Bertramus, in libello de corpore & sanguine Domini ait de Symbolorum naturis, quod secundum creaturarum substantiam, quod*

quod fuerunt ante consecrationem, hoc & postea consistunt.

Bernardus in sermone de cœna Domini, manifestè proponit simile de anulo, quo accipit quispiam vel cõiugalem fidem, vel possessionem alicuius dignitatis, vt in Episcopis ordinandis cõtingit, vbi anulus, aut pedum, vel insula signa sunt, traditarum & concessarum rerum, nec tamen vana. Nam certissimè largiuntur quæ significant, quod idem fieri in sacramentis ostendi. Bernardus

NVNC sunt argumenta istorum dissoluenda quibus nituntur suam transsubstantiationem probare. Quoad primum, respondemus Christum promisisse suam carnem, vel suum corpus aut sanguinem, in cibum et potum, idq; 6. Ioan. Quod præstat quoties illum verè pro nobis mortuum credimus, Præstitit etiam cum in cœna hoc sacramentum institueret, nam illi manducationi spirituali addidit symbola. Obijciebant aũt maximè, Hoc est corpus meũ, de ueritate cuius dicti est cõtrouersia, se tantũ quo ad modũ, nã 1. Vide p. 40.

vtriq; tam ipsi quam nos contendimus propositionem veram esse, & de sensu tantummodo certatur: Illi asseuerant propositionem claram esse, et nos vicissim monemus, quod Augustinus de doctrina Christiana docet, non esse interpretandum vnum locum, vt cum multis alijs pugnet, sed ita vt cum multis alijs consentiat. Neq; oportet semper obijcere perspicuitatem sensus, alioquin cum dicitur. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ἀνθρωπομορφίτω insurgunt & inferunt, Deum habere corpus & animam, & cætera membra, vt ea conspicimus in homine formata. Tu dicis hanc similitudinem ad animum referendam, quia per illam dominatur homo cæteris creaturis, instar Dei. Sed illi aiunt illic de homine ista scribi, & te frustra conari quod pronũciatur de toto, attribuere parti, nimirum animæ. Tu rursus obijcis, Deum spiritum esse, atq; spiritum nõ habere carnem & ossa, & sic alijs locis scripturarum huius vnius sensum captas. Ita dicebant Ariani, clarum

Sensu propositionis Hoc est corpus meum.

se

se habere sensum illius loci: Pater maior me me est. Tu hoc ad naturam humanam contrahis, quia in alijs locis tibi demonstratur Christi diuinitas, vt pri. Ioan. & in epistola ad Romanos cap. 9. et quinto cap. Ioan. epist. dicit Christus, qui non habet gladium, emat sibi: Quo videtur ad vltionẽ incitare, quod si alia loca respexeris, figurate videas dici. Habet Paulus absq; intermissione orate. Emerserunt ὠχῦτυ, qui existimarunt perpetuis & submurmuratis orationibus, incumbendum: Cum tamen alibi dicatur, Qui suorum, & maximè domesticorum, curam nõ habet, abnegauit fidem, atq; infideli est deterior. Et rursus, Omnia cum ordine fiant. Et, Qui non laborat, non manducet. Chiliastæ, id est, millenarij, putarũt se clarissimum habere verbum in Apocalypsi cap. 20. de mille annis, quibus Christus erit regnaturus cum suis. Atq; Sabelliani dixerunt non esse discrimen inter patrem & filium, ex illo loco: Ego & pater vnum sumus. Item. Philippe, qui videt me, videt & patrem. Atq;

In interpretando uno loco, respicienda sunt alia.

vt ego in patre, ita & pater in me manet. Ista dicebant esse clara, & pro se facere. Ebionitæ posuerunt Christũ meră creaturam, et aiebant: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti, non potuisse aliter intelligi, quã doquidem Deus nunquam se derelinquit. Et ex eo quod scribitur sexto Ioannis, Qui manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non morietur in æternum? consequi nonnulli dixerunt, eos qui legitimè semel communicarint, non posse in æternum perire. Quem errorem Augustinus de ciuitate Dei luculenter taxat. Et verba Cantici canticorum, si ea vt sonant prima fronte recipias, non sunt nisi amatoria carmina, siue epithalamium. Non oportet ergo semper prætexere verborum perspicuitatem. CHRISTVS dicebat, Qui habet aures audiendi, audiat, & qui legit, intelligat. Neq; conuenit, primum sensum qui se offert, euestigio arripere, neglectis & non consyderatis alijs locis. Dicebat Christus Apostolis: Cauete à fermento Phariseorum. Il

li

listatim putabant eum de panibus loqui, cũ de doctrina ageretur. Dicebat item, Lazarus amicus noster dormit, Ibi quoq; dormitarunt Apostoli, ac dixerunt, Si dormit, saluus est. Cum de morte loqueretur: Dominus aiebat rursus: Soluite templum hoc, atq; in triduo illud excitabo, nec intellexerunt eum agere de corpore. Qui obseruauerit præcepta mea, nõ morietur in æternum, & hic arbitrati sunt Iudæi agere illum de vulgari morte. Nicodemus nouam generationem crasse intelligebat. Neque minus errauit Samaritana, circa illam aquam, quam Christus ei pollicebatur. Atque Hebræi hallucinati sunt, cum illis Christus diceret, Abraham vidisse suum diem, & fuisse gauisum. Non itaque semper dicant nobis plana est hæc scriptura, Hoc est corpus meum, quia respondebimus ei, plana est, quo ad significationem vocum. Sed earum sensus non est planus, vt in sententijs consimilibus patet: Christus est petra, Christus est agnus, Vos estis corpus Christi, Multi sumus unus panis.

Omnia hæc verba sunt Dei, & possumus prædicare de eis, plana sunt, perspicua sunt, nec tamen vlla eorum trãssubstantiationem inferunt. Quare non est quod tantopere prætexatur verborum perspicuitas. Oportet ex alijs scripturæ locis, & circumstantijs, bene respicere quid hic agatur. Exponemus itaq; propositionem altius repetendo. Voluit Deus hominem ad se pertrahere amplis promissionibus, quod esset beaturus illum, facturúsque fœlicem et quia incredulũ cor nostrum, voluit multa extare beneficia erga humanum genus, quibus ipsum ad se pelliceret. Vnde nõ solum donauit nos omnibus creaturis, verũ tempore diluuij, nostrum genus alioquin male meritum, ab aquarum exitio eripuit. Abrahamo se declarauit admodum propitium: Isacho item, & nepoti eius Iacobo, fortunauit genus, vt augeretur in Aegypto. Et cum ibi opprimerentur, eos eripuit, terram dedit satis fœlicem, prouexit ad regiam & sacerdotalem dignitatem. Fuerunt attamen semper increduli homines, et de beneuolentia

Declaratio perspicua propositionis: Hoc est corpus meum.

benuolentia Dei erga se parum sibi persuadebant, Quare propter infidelitatem illos ejiciebat in varias captiuitates, & subinde liberabat. Demum, vt de illius bonitate non relinqueretur ambigendi locus, omnium beneficiorum summum contulit, nimirum filium suum humana carne indutum, vt in cruce pro salute nostra moreretur, quod beneficium tale fuit, vt Paulus ad Romanos dixerit, Quomodo non omnia simul donauit cum illo? Et ne intercidat, hoc sacramento Eucharistiæ refricari voluit, vt fide voluueremus in animo, Christum pro nobis ab eo traditum in mortem, & id credendo, manducaremus carnẽ & sanguinem eius. Quod vt efficacius fieret & panis & vini symbola fuerunt addita, quæ vehementius nos permouerent, quam simplicia verba consuuerint. Cum itaq; dicit, Hoc est corpus meum, non aliud intellexit atq; Ioannes 6. polliceretur, cum diceret: Ego sum panis vitæ. De se loquebatur quo ad corpus & carnem in mortem traditam, uel potius tradendam,

Cõfert locum loã 6. cũ his quę Dominus gesit in coena.

vt ex verbis eius liquet. Nec aliud volebat nisi ista fore nobis panem & cibum, quo animi nostri confirmarentur, & alerentur, atq; per animum corpus, demumq; totus homo. In cœna igitur nihil aliud egit Christus, nisi quod propositionem transposuit, & sicut antea dixerat, corpus suum & carnem, panem esse, ita nunc inquit è diuerso, ostẽdendo panẽ, ipsum esse corpus suũ, dumq; protulit, Hoc est corpus meum, fuit ac si diceret, corpus meũ fide perceptũ, erit vobis pro pane, instar panis, quo spiritualiter alamini, sit itaque sensus, do vobis panem vt edatis, & interim vobis propono corpus meum in cruce agendum, vt ipsum fideli memoria & mente attentissima apud vosmetipsos spiritualiter comedatis, vtque corpore editis panem, ita mente vescamini carne mea. Quid ista interpretatione, aut facilius aut lucidius? quodque magis conueniat cum promissione quam fecit nobis Dominus in 6. Ioan. capite? Quod si quis contenderit, illud primum Christi dictum, Ego sum panis viuus

pro

pro natura diuina accipi, vt Chrysostomus velle videtur. Primum dicimus hoc non multum quadrare, quia Christus instituerat sermonem de esu sui corporis: & loco panis terreni offerebat Capernaitis carnem suam manducandam, quod ex serie sermonis liquido constat, etiamsi dicat panem de cœlis descendisse, quia sæpe quod est diuinitatis, humanitati etiam communicatur. Sed si tantum valet apud eos ista Chrysostomi expositio, valet eadem cum infra inquit, Christi dictum, Panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi vita, ad Eucharistiam pertinere. Neque solus ipse hoc statuit, sed illi cæteri quoque interpretes cõsentiunt. Cum itaque Dominus ibi dicat panem esse carnem suam, nunc in cœna idem testatur, demonstrato enim pane, ait, Hoc est corpus meum. Vtrobique corpus suum, vel carnem suam, panem esse prædicat nimirum animi, & nostræ regeneratæ substantiæ, qui spiritualiter manducetur.

Et sic nulla erit conuersio propositionis,

Quis tropus in his uerbis hoc est corpus meum.

sed vtrobiq; accipietur eodem modo. Quod si totum simul accipiamus, panem uidelicet, & rem per panem oblatam id est corpus Christi, synecdochê admittimus. Nam de toto dicitur, vel de vna parte, quod est alterius. Sin verò dictum referas, ad panem qui & significat & offert nobis corpus Christi edendum, tropus erit metonymiæ, quando scilicet tribuitur signo nomen signati. In hac interpretatione quoque omnia sunt facilia, vitantur absurda, & vnus scripturæ locus, cum alijs non pugnat. Dicebant si tropis ita detur locus, hæretici omnia peruertent. Ego viciſſim dico, niſi utamur tropis, vt patet in ijs quæ paulò ante citauimus, vicerunt hæretici. Nam illi quoque proprium ſenſum vrgebunt, eum videlicet qui ſtatim ſe offert. Tantum hoc ſupereſt, vt oſtendamus talem phraſim, & tropicam locutionem, frequentem eſſe in ſacris literis, quod facile erit. Scriptum legimus, Semen eſt verbum Dei, Petra erat Chriſtus, quamuis ſcio nonnullos cauillari, & hic nullum velle tro-

Niſi utamurtropis nonpoterimus hæreticis reſiſtere.

pum

pum esse, eò quod Paulus contraxerit sermonem ad petram spiritualem, quam uere & non tropice aiunt Christum esse. Attamen pro nobis facit, Augustinus & Origenes, qui apertè dicunt petrã illam externam significasse Christum. Sed ne videamur subterfugere, quod obijcitur, dicimus si volunt accipere petram spiritualem, sumant hic etiã panem spiritualem & allegoricum, ac de illo fatebimur, quod verè, & absque tropo est Christus: Dicebat præterea Dominus, Ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est, nec propterea Iudas transsubstantiabatur in diabolum. De circumcisione scribitur, fœdus meum erit in carne vestra, cum circumcisio non sit fœdus, verum tantummodo signum fœderis. Trigesimo tertio capite Geneseos, narratur Iacob ædificasse altare, quod vocauerit Deus fortis Israël: & Moses in Exodo post victoriam contra Amalech extructum à se altare vocauit יהוה נסי Deus vexillum meum: & Hieremias meminit ciuitatem appellan

Tales locutiones tropicæ ut estista unt familiarissimæ scripturis.

Iehouah nesi.

Iehouah Zidcenu.

dam יהוה צדקנו Deus iustitiam nostram, eo quod ista futura essent earum rerum, quas nominibus exprimebant, monimenta. De Ioanne Baptista scribitur, quod erat lucerna ardens, & lucens. Item ipse est Helias, si vultis eum recipere. Christus de se ait, Ego sum vitis, & vos palmites. Ego sum ostium. De illo habemus etiam quod sit lapis in ruinam positus, & in resurrectionem. In Deuteronomio, sanguis est anima, cum sit id quo anima conseruatur & significatur. De Ioseph dixit Iudas eius frater, ne occideretur, caro nostra est, qua phrasi denotabatur naturalis coniunctio generis. Paulus inquit, multos esse vnum panem, quod oportet figurate intelligere. Et CHRISTVS efflauit in discipulos atque ait: Accipite spiritum sanctum, nec tamen in spiritum sanctum flatus est transsubstantiatus. In Genesi, non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Et in Ioanne, verbum caro factum est, vbi tropus est synecdoche, totus enim homo nomine carnis in-

intelligitur. Ac Dominus in cruce inquit: Mulier, Ecce filius tuus, & discipulo, Ecce mater tua, nec tamen sunt transsubstantiati, ijdem manserunt, qui prius, sed nouus ordo, noua relatio, atque respectus inter illos est constitutus. De Christo dicitur, quod est pax nostra, cum tantum sit causa nostræ pacis. Et verba mea sunt spiritus & vita, cum tantum hæc significarent, vel afferrent credentibus. Dicebat Ioannes, Ecce agnus Dei de Christo, nec tamen eius natura mutabatur in agninam. Passim legitur in sacris literis, verba Domini esse iudicium, veritatẽ, & iustitiam, cum tantum ibi ista significentur, & exprimantur. Atque hoc simile eximiè conuenit sacramentis, quæ dicuntur esse verba visibilia. In Apocalypsi habetur, Ego sum α & ω, id est, principium & finis omnium rerum. Et de suo Euangelio quod prædicabat, ait Paulus, Vis Dei est ad salutem omni credenti, cũ tantum sit instrumentum, quò se declarat potentia Dei ad homines seruãdos. Ac de sermone crucis dicit,

quod sit stultitia impijs hoc est, rem stultam huic generi hominum significat, pijs uero addit esse Dei uim & sapientiam, eo quòd ipsis ista referat. Et de lege aiebat deus, quod mortem & vitam, benedictionem & maledictionem apponeret Hebræis, id est per significationem legis, promissiones & cõminationes, quæ in illa exprimebãtur. In libro Geneseos septem vaccæ, & septem spicæ, dicuntur esse septem anni, & hoc quoad significationem. Ahias propheta Sylonites dedit Hieroboã decem conscissi pallij frusta, atq; dicebat, se illi dare regnum decem tribuum. In hac etiã epistola hoc. 11. cap. scripsit Paulus, vt mulier haberet super caput suum potestatem τὴν ἐξουσίαν, id est, uelum, quo potestas viri significatur. Et in posteriore epist. ad Corinth. habetur, quod deus Christum fecerit peccatum, nimirum quo ad similitudinem, & carnis representationem: quin & victima quæ offerebatur pro peccato, appellata est peccatum, & sacerdotes dicebantur comedere peccata populi, id est victimas

ctimas quæ pro peccatis populi offerebantur, In Ezechiele scribitur, Effundam super vos aquam mundam, & per aquam significat spiritum sanctũ, quod idem legimus de Christo cum ait. Qui biberit ex hac aqua, et quæ sequuntur: Vbi commemorat Euangelista illum fuisse locutum de spiritu quem accepturi erant. De agno audimus quod sit appellatus pesach, quamuis nonnulli id conentur inficiari, sed Hebraice habetur זבח פסח הוא sacrificium pascha est. Per sacrificium non potest intelligi, nisi aut victima, aut illa actio immolandi victimã. Ita nos corpus Christi habemus expressum & pane & vino & actione tam edendi quam potandi, Non fuit agnus ille transitus angeli, sed solùm eius monumentum atq; significatio. Quæsiuit Christus locum vbi pascha cõmederet cum Apostolis, & per pascha intelligebat illos cibos, & illa consecrata, quæ denotabant transitum. Paulus etiã, Pascha nostrum immolatus est Christus, dixit, quo loco appellauit Christum ipsum no-

Zebah pesah hu.

ſtram ſolennitatem, et noſtrum tranſitum, quæ non poſſunt niſi tropice accipi. Eratq; agnus ille non tranſitus angeli, qui tunc fieret, ſed iam erat factus antiquitus, cuius memoria ſignis illis externis repreſentabatur. Hic etiã corpus Chriſti habemus hactenus paſſum, non quod nunc tradatur in crucẽ, aut cuius ſanguis nunc effundatur. Et ſi uel lẽt iſtos ſermoẽs Chriſti rigide interpretari, cum inquit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, oporteret eos dicere panem fuiſſe crucifigendum, aut ſaltem Chriſtum velatum accidentibus (ut ipſi ponunt) in ſacramento. Nam Chriſtus oſtendens id quod habebat in manibus, illud pro eis dicebat et tradi & fundi, quod ſi dixerint, id quidem erat quod fuit traditũ, ſed nõ eodẽ modo, aut ea forma; iam quærũt interpretationes, atque ſuffugia, & non ſimpliciter propoſitionem accipiunt. Quod idem videas in verbis traditur, et funditur, quæ ſi à nobis dum verba proferimus in conſecratione, accipiantur vt ſonant, corpus Chriſti ſignificabitur

Aduerſarii eſſet n. ſunt ſimpliciter ac cipere uerba domini hoc ẽ corpus meũ.

tur modo tradi in crucem, & sanguis eius modo effundi, aut mox effundendus. Volunt autem conuerti hæc in præteritum, ut intelligamus corpus traditum, & sanguinem effusum, & id est tropice agere, quando tempus pro tempore accipitur. Quod autem Paulus dicebat reos esse corporis & sanguinis Domini, eos qui manducant indignè, item iudiciũ sibi manducare, eò quod nõ dijudicent Corpus domini, nihil est, quia Ambrosius respondet, Quo ad primum dum illum locũ interpretatur. Dabunt pœnas mortis domini, quia pro illis occisus est, qui eius beneficiũ in irritum ducunt. Interpretatur ergo eos reos esse corporis domini, ut audiuimus, nec ad hoc requiritur transubstantiatio. Et indignè sumentes, asseruntur non dijudicare, hoc est in precio non habere corpus domini, quia tanta est coniunctio inter symbola et significata, vt istorum contumelia, in illa redundet. Hoc pacto locutus est Paulus cũ diceret, vir orãs aut prophetans cõtra

Contumelia sacramenti redundat in corpus Christiq̃ est res Sacramenti.

cto capite, ignominia afficit Christum, vbi apertè voluit in Christum redundare quod fiebat circa caput viri, eò quòd esset symbolum Christi. Considerandum est etiam Paulum scripsisse ad Cor. Qui non prorsus erant destituti fide, sed laborabant aliquibus infirmitatibus, & hoc hominum genus, non diximus tantum accipere symbola, & non habere corpus Christi; sed hoc asserimus de infidelibus Epicuræis ἀθεοῖς, & ab ecclesia alienis. vnde rectè illis dici poterat non solum, quoad symbola, sed etiam quo ad rem sacramenti, quòd rei essent corporis & sanguinis Domini, & quòd non dijudicarint corpus Domini, cum ista fide perciperent, et vita non exprimerẽt. Et hoc loco id quoq; attendendum est, quòd Paulus cũ agit de sacramentali actione, videlicet esu & potu, panis meminit, & ait: Qui manducat hunc panẽ, sed cũ postea vitiũ est exaggeraturus, meminit corporis domini, et si ratio ineatur, & iustè supputetur, in tota tractatione de hoc sacramento, sæpius expressit apostolus panẽ quã

meminerit corporis domini. Nam bene quin quies ipsum inuenias commemorasse panem. Corpus vero domini tantummodo quater. Sed nunc videndũ est quæ sunt illa quæ nos permoueant ut orationem hanc, Hoc est corpus meum tropice accipiamus. Primum consyderamus in cœna Christum adfuisse, unde non opus erat ut apostolis ostenderet corpus suum. Videbant enim ipsum. Deinde qui fieri potuit, vt ipse manducarit realiter et corporalitur seipsum? Eum vero comunicasse cum apostolis non solum patres asserunt, sed Christus ipse inquit, ut habes in Matthæo. Posthac non bibam de hoc fructu vitis. Præterea respicimus, quod hic agitur de memoria. ubi tropus indicatur, Et uidemus istos mutare tempora, ut quod per futurũ uel per præsens enunciatur, de traditione corporis & effusione sanguinis, ipsi per pręteritum interprætentur. Consyderamus postea illos nõ posse carere tropis consecrando, quia uerbum, est, accipiunt pro conuertitur, transubstantiatur, vel fit. Christusq́ cum instituerit

Quibus causis conuincatur tropus in his uerbis hoc ẽ corpus meũ

ſacramentum, conuenit ut per ſignificatiõnes, & tropice ſymbola accipiantur, iuxta naturam ſacramenti quæ eſt vt ſit ſignum. Reſpicimus et aſcenſionem Chriſti in cœlũ, veritatem humanæ naturæ, quã aſſumpſit, & quæ habentur in Ioãne, cum dicitur Capernaitis, Verba mea ſunt ſpiritus & vita, caro non prodeſt quicquam, nimirum carnaliter manducata. Spiritus eſt qui viuificat. Et rurſus Paulum conſyderamus qui panem hic ponit quam apertiſsime, ubi tamen iſti volunt tropum eſſe, qui noſtrum tantopere auerſantur. Audimus etiam Paulum atteſtantem, veteres habuiſſe nobiſcum eadem ſacramenta, Nam ex Auguſtini ſententia non ſatis illi fuit dicere, eos habuiſſe ſpiritualem cibum & potum, ſed adiecit, eundem. Et rurſus ne ambigas, expreſsit apoſtolus & baptiſmum, quem dicit eos in mari & nube fuiſſe conſecutos. Vnde liquet illos non tantum inter ſe, verum & nobiſcum habuiſſe eadem ſacramenta. Videmus etiam vicinas locutiones tropice accipi, nam iſtis

dicitur

dicitur, Panis quem frãgimus comunicatio corporis Christi est, Et hic calix nouum testamentum est, quæ sepius commemorauimus. Deinde non proprie conuenit corpori Christi ut edatur. Atq; ex his abunde constat, quid ad secundum argumentum dici debeat, in quo illi obijciebant sententiam non esse ad tropum accipiendã, nisi aliud antea, vel postea illic haberetur, quod id faciendum consuleret, Et instabant, illam particulam, quod pro uobis tradetur, nos potius retinere in sensu proprio, quod aperte falsum est, cum ibi tempora mutemus, neq; illud accipiamus corpus quod tradebatur, Quandoquidem id & visibile fuit atq; passibile. Neque in eadem substantia aut subiecto possunt simul conuenire, & corruptibilis corporis conditiones, & dotes glorificati, ita ut idem corpus passibile sit & impassibile simul, & pro eodem tempore. Adhæc ostendimus, quæ alia loca nos adducant, vt hoc genus tropos admittamus, Synecdochẽ inquam, uel Metonymiam. 2

3 *Ad aliud argumentum de rebus distinctis, siue vt loquuntur, disparatis, inter quas nõ potest constitui mutua prædicatio, respondemus. Quæ sic discreta aut disparata sunt, si accedat analogia vel significatio, iam ita coniungi possunt, vt propositionem constituere valeant. Quod videmus factum non solum cum dicitur à domino: Semen est verbum dei, &, Ego sum vitis, cæterum & à Paulo, quando pronunciat nos esse vnum panem. Et rursus inquit, Panis quem frangimus communicatio corporis Christi est. Ac rursus, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Neq; multum moramur, quod aliqui dicunt Matth. & Marc. plane & aperte protulisse, Hic est sanguis meus noui testamenti, non enim negamus ita scripsisse istos euangelistas: Sed interim contendimus, & verba recipienda esse, quæ & Lucas, et Paulus habent, eaq; dicimus, sicut alias sententias, quas modo citabamus, constare ex vocibus admodum discretis, & quæ more dialectico possunt vocari disparatæ. Sed per analo-*

Quomodo possint disparata de se mutuo prædicari.

giam & significationem pulchrè & appositissimè connectuntur.

In alio argumento dicebatur Christū cū 4.
proferret, Hoc est corpus meum, non dixisse hoc significat, aut representat corpus meū, iste panis est figura, aut signū corporis mei. Istis nos regerimus, Christum non dixisse, in illis accidentibus absq; subiecto corpus suum latitare, neq; asseruisse substantiam panis desinere esse, aut conuerti, aut transsubstantiari in suū corpus. Deinde miror ista obijci, cū quod patres inueniātur istæ expositiones. Nā frequēter aiunt representari, significari, designari, ostendi, corpus et sanguinem Domini, et symbola panis ac uini appellant signaculū, figurā, ac typū, et ἀντίτυπα. Neq; est quòd aliquis cauilletur, ista signa aut figuras eos referre ad mortem, & non ad corpus Christi, qua Patres apertè dicūt significari corpus et sanguinem, & signa, & figuras dari corporis et sanguinis Domini. Quod vt verum esse agnoscas ex multis hæc aliquot eorum loca subijciemus. Aug. de catechis. rudib. De sa-

Testimōia patrū quibus appellant sacramenta signa & figura.

cramento ſane quod accepit, ſignacula quidem rerum diuinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inuiſibiles in eis honorari. Idem de ciui. Dei lib. 10. ca. 5. Sacrificium ergo viſibile inuiſibilis ſacriſicij ſacramentum. i. ſacrum ſignum eſt. Hiero. lib. 4. in Mat. ca. 26. vt quo modo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & vinum offerens fecerat. ipſe quoq; veritatem corporis ſui & ſanguinis repræſentaret. Bertramus poſitis ſanctarum ſcripturarum teſtimonijs, & ſanctorum patrum dictis, euidentiſſimè monſtratum eſſe, quod panis qui corpus Chriſti, & calix qui ſanguis Chriſti appellatur, figura ſit, quia myſterium. Tertulliã. contra Martion. lib. 4. Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuũ illũ fecit, hoc eſt corpus meũ, dicẽdo. i. figura corporis mei. Cypri. epi. 3. li. 2. Videmus in aqua, populũ intelligi, in vino oſtendi ſanguinẽ Chriſti. Ambro. li. de his qui initiantur myſteriys. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt cõſecrationem corpus Chriſti

sti significatur. Idem de sacramentis lib. 4. cap. 5. Fac nobis hãc oblationem adscriptam rationabilẽ, acceptabilẽ, quòd est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Idem in cap. 11. prioris epistolæ ad Corinthios, Huius rei memores, in edendo & potando, carnem & sanguinem Domini, quæ pro nobis obtuta sunt, significamus. Et mox: In cuius typum nos calicem mysticum sanguinem, ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus. Bernardus in sermone cœnæ Domini, In hunc itaq; appropians passioni Dominus de gratia sua curauit inuestire suos, vt inuisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Chrysostomus in epistolã priorem ad Corinthios cap. 10. Quid enim appello cõmunionẽ? idem ipsum corpus sumus. Quidnã significat panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui accipiunt? Corpus Christi. Basilius vocat ἀντίτυπα in sua liturgia, & quidem post Baptismum. Augustin. de Trinitate. lib. 3. cap. 4. Apostolus potuit significando prædicare Dominum Iesum

Christũ per linguam, aliter per epistolã, aliter per sacramentum corporis & sanguinis eius. Idem contra Adimantum: Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meũ, cum signum daret corporis sui. Idem in psalmum 3. Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit. Idem contra Maximinum libro 3. capit. 22. In sacramentis non quid sint, sed quid ostendant attenditur, quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. Ex his vides patres non abhorrere, imò ponere significationem corporis in hoc sacramento.

Praterea ostendimus ex sacris literis huiusmodi locutiones esse, vbi verbum substantiuum, est, accipitur, pro significat. Quare hoc argumentum hebetatur. Cum itaque obijciunt CHRISTVM *non dixisse vel significat, vel representat, Nos ex sacris literis ita posse accipi respondemus, quod luculenter supra demonstrauimus. Neque vt arbitrantur, nos hoc pacto argumentamur,*

mur, alibi hoc modo se habet ista locutio, igitur & hoc loco sic accipienda est, Sed tantum occurrimus illis, qui cum probare debeãt suam transsubstantiationem afferunt, Hoc est corpus meum. qui locus controversus est, & de sensu eius dubitatur, Illi objiciunt nobis simplicem sensum, et mordicus retinent, quod ex alijs locis scripturæ liquet non esse firmum, cum aliter sæpissimè ista locutio in sacris literis, accipienda sit. Nos pro nostra sententia de Eucharistia, multas alias habemus rationes, neque hoc adducimus, vt nostrum argumentum, sed tantum respondemus eis, cum obtrudunt huiusmodi phrasim, eam frequentissimè aliter significare, & idcirco ex illa ab ipsis infirmiter concludi.

Augumentantur postea de adoratione, quod si relinqueretur panis, adoraretur in sacramento. Miror istos esse tam obseruãtes veræ adorationis, cum alioquin & picturæ atque statuæ apud eos adorentur. Verum dicunt, se ista non adorare, sed ea quæ per hæc

Cum argumentãtur à dicto Christi hoc ẽ corpus meũ infirmũ est argumentum.

repræsentantur. At quomodo non idem volunt concedere de pane si remaneat, quòd is non adorabitur, sed ea quæ ab illo significantur? Deinde cur pari ratione inde non semouerunt accidentia, ne illa forte adorarentur? Excusabunt fortassis quod nullus velit ibi colere accidentia, cum tamen sciamus picturas & figuras, quas in templis tollerant, accidentia esse, ad quæ homines procumbunt, nam si ligni vel lapidũ substantias adorare vellent, et in syluis, et in plateis haberent passim quod adorarent. Ad de rusticos & simplices homines nescire distinguere, aut iudicare inter accidentia & substantiam. Quique fingunt se moueri tanto zelo, debuerunt & calicem transsubstantiare, ne fortè cum ostenditur adoretur. Et sanè leuissimum hoc argumentum mihi semper visum est, licet à scholasticis, et quidem non vulgaris nominis obijciatur. Oppositum est adhæc, quòd nisi ponatur transsubstantiatio, tum in hoc sacramento duæ naturæ, siue substantiæ corporeæ, simul ponentur

Euitatur idololatria etiam si maneat panis-

§

ac-

atque eodem loco. Quis hic non miretur istos esse tantæ religionis in naturam, & obseruantiæ, quasi nolint eius leges violare? Cum tamen accidentia constituant pendula, absque subiecto, quod maximè aduersatur naturæ decretis. Et per suum commentum absurdum, quod timent non euadunt, quia cum relinquant accidentia, inter illa est corpus, quod ad quantitatem pertinet, & locum procul dubio occupat. Cùm etiam velint carnem Christi corporaliter accedere, quæ est quanta, & latere sub accidentibus, necessariò duo quanta & duo corpora simul ponent. At iuxta sententiam quam nos asseremus, nil est periculi ab hoc absurdo.

Aduersarij coguntur duo corpora simul ponere.

Aiebant præterea, dignitati Christi parũ conuenire, ut eius corpus substantiæ panis cõiungatur, quod est admodũ friuolũ, non enim statuitur ex corpore Christi, et panis natura vnũ suppositũ fieri, ut ex natura diuina atq; humana in Christo. Neq; etiã videmus quæ maior sit dignitas accidẽtium, quã sit panis,

vt si corpus Christi cum illis esse statuitur, non possit cum substantia panis manere. Et cum natura diuina etiam in inferno esse dicatur, citra suæ dignitatis iacturam. Atque hoc corpus vt ipsi sentiunt, etiam impijs tradatur verè et substantialiter manducandũ, qui sunt impurissimi et eo indigniſsimi. Quid verentur tantum ob dignitatem, corpus & sanguinem Domini pani & vino adiungere? potiſsimum cum significationis coniunctio statui debeat.

Quid sit sacrificium in coena Domini.

8 Habuerunt præterea rationem de sacrificio. Nam inquiunt corpus & sanguis Domini offeruntur in Missis, etsi non ponatur ista metamorphosis tum nil offeremus, nisi rem significatam, & adumbratam. Hic pro nobis satisfaciet Cyprianus, qui ad Cæcilium epist. 3. lib. 2. Ait passionem esse Domini, quam offerrimus. Quis autem nesciat passionẽ Christi minimè præsentem esse, in manibus sacrifici, cum sit res elapsa præterito tempore, cuius agitur memoria, et de qua gratia aguntur Deo? Sed hoc totum quod prætexũt

in

in hoc argumento, figmentum est, quo comminiscuntur ipsum filiũ Dei, à sacrificio proprie & vere immolari patri, qua de re ut errent, modo non est locus dicendi. Nunc oportet ostendere quod postea obijciebant de patrum sententijs, quæ instituto nostro uidentur aduersari, eas contra nos minime facere. Sed priusquam ad ipsas explicandas descendam, nonnulla præfari statui, quæ haberi poterunt, ut certæ regulæ ad patres intelligendos. Quando hac de re sacramentali grandius loquũtur, & uehementius agunt, Primũ est considerandum, scripturam sanctam alternatione quadam, quod symbolorum est, consueuisse rebus atribuere, et quæ uicissim rerum sunt, adscribere signis. Qua eadem ratione & patres utuntur, ut sæpe illos videas de rebus agere, atq; si de symbolis loquerentur, ac è diuerso, ita de symbolis scribere, quasi res & significata pertractent. Quod potest congruere propter magnam similitudinem, quæ inter hæc ex instituto domini intercedit. Augustinus de hac re aperte mon-

9. p. 46.

Quædam regulæ ad id telligendos prẽ cũ de hoc sacramento loquuntur.

Alleosis rerum & symbolorum.

uit, ad Bonifacium, quod in ſacramentis nomina permutentur.

2. Semper alimoniam ſpiritualē reſpiciūt.

Altera eſt regula, quod ſi diligenter inſpexeris quæ ſupra et infra dicuntur, ſemper videbis patres atteſtari, hanc alimoniā ſpiritualem eſſe, nō autē gulæ, uentris aut dentis.

3. Quid ſit Chriſtum nobis carnaliter aut naturliter comunicari.

Tertia, ſi quandoq; dicant, nos cum Chriſto carnaliter communicare, ita vt etiam corpus alatur Euchariſtia, iſta ſic accipienda ſunt, ut intelligamus filium Dei, quando conceptus fuit ex virgine, & naturam humanam aſſumpſit, tum nobiſcum carnaliter communicaſſe. Deinde nos in eo manemus, uiciſsimq; ille in nobis manet, quando nos verbis eius credimus, & cum fide ſacramenta percipimus, quia ſic communicando, additur nobis ſpiritus, & caro noſtra & corpus quæ naturæ iam erant eiuſdē cum Chriſto, redduntur earundem conditionum cum eo, capacia fiunt immortalitatis & reſurrectionis, cunq; obſequantur & inſeruiant ſpiritui, uerè aluntur ad uitam æternam. Et ita Corpus noſtrum in Euchariſtia bifariam paſcitur,

pascitur, primũ symbolis, deĩde hac instaura tione ad vitã æternã, atq; ita Christus dicitu per hoc sacramentũ in nobis manere. De prima communicatione quam habemus cũ illo per natiuitatem, & incarnationem, testimonium habes ex epistola ad Hebræos ca. 2. Quia igitur pueri cõmunicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Consyderes deinde verbum consecrandi non aliud significare apud patres, quam rem communem & prophanam, sacro vsui dedicare, & hoc est sanctum reddere, non itaq; est ut cum in patribus occurrit uox consecrationis, ilico nobis fingamus transubstãtiationem. Quod autem aliqua mutatio ibi sit, nõ inficiamur, nimirum qua res illæ iam sacramenta fiant, ad significandũ nobis efficaciter, offerendum ac exhibendum per uim spiritus sancti, quoad animum et fidem, corpus & sanguinem domini. 4

5. Discrimen inter nos & Capernaitas.

Sciendũ præterea, inter nos et Capernaitas quoad res ipsas non esse discrimem: Illi putarũt se uerũ corpus et uerã carnẽ Christi

manducaturos quod et nos fieri concedimus. Caterum discrimen est in modo, & ratione manducationis: Quod illi carnaliter faciundum putarunt, nos fieri spiritualiter docemus, alioquin uerum corpus, & uerus sanguis exhibetur, quia fides non complectitur ficta, sed uera.

Item cũ legitur in patribus, corpus Christi contineri aut haberi his mysterijs, per ista nihil aliud accipiendum est, quam denotari, ostendi, demonstrari, atque significari.

6. Corpus christi cõtineri, uel haberi in pane quid sit.

Cum audis patres dicentes, Hic panem aut uinum amplius non esse, hoc debes intelligere nõ simpliciter, sed quoad teipsum, quãdo pie communicas, quia illic tibi non est cogitandũ, uel de pane, uel de uino, mens tua, & sensus, oportet solum inhæreat rebus, quæ tibi repræsentantur. Id eo dicitur, Sursum corda, ut ab istis animum subuehas ad inuisibilia, quæ tibi offeruntur. Scripturæ etiam sacræ non abhorrent ab hoc tropi genere. Paulus inquit, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, qui tamen

Quid intelligant patres cum dicũt panem aut uinum in sacramẽto nõ supesse

men non negasset corpus & carnem aggrauare animam, & refrenanda esse, cum alibi scribat, Caro concupiscit aduersus spiritum. Neq; etiam ignorauit, multos esse malos homines, qui caro & sanguis dicuntur, à quibus tamen infestamur, & cum illis est nobis quotidiana lucta. Sed intelligebat Paulus, de illa summa & præcipua contentione, vnde istæ aliæ ortum habent. Dixit etiam in Christo non esse marem, neq; fœminam, neq; seruum, neq; liberum, cum tamen ista officia, & ista personæ à Christo et ecclesia non remoueantur, imò de illis præcepta seorsim descripta sint. Sed intelligebat Paulus ista non esse in Christo, quoad regenerationem, remissionem peccatorum, & vitam æternã consequendam, quæ summa sunt in Christianismo. Et in illis distribuendis, Christus non respicit hos status & istas conditiones. Scribit idem apostolus, Regnum dei non est in sermone, nec tamen voluit propterea ab ecclesia quæ regnum dei est, remouere conciones, admonitiones, et lectiones, quæ verbo fiũt,

ſed tantum reſpiciebat illam ſummã vim, & efficaciam ſpiritus, qua omnia in eccleſia regi debent. Ita loquuntur patres, cum negant ſymbolorum naturã manere, quod non eſt vt diximus ſimpliciter accipiendũ, ſed quoad noſtram fidem, & cogitationem, quas non oportet illis inhærere.

8. Adijcias iſtis, fidem tantæ eſſe efficaciæ, vt res præſentes faciat, non quidem realiter aut ſubſtantialiter, ſed ſpiritualiter. Nam illas vere complectitur. Atq; ita dicebat apoſtolus, Chriſtum ob oculos Galatarũ fuiſſe crucifixum. Sic & Abraham dictus eſt vidiſſe diem domini, Atq; hoc pacto veteres eundem Chriſtum habuerunt in ſacramentis, quo & nos fruimur. Et ita videsad hanc præſentiam non requiri, res quoad naturalem conſtitutionem, mutare locum, aut nobis adeſſe cũ omnibus ſuis materialibus, & phyſicis conditionibus.

Preſentia fidei.

9. Si natura diuina in ſacramento præſes eſt, ſimili-

9. EST etiam obſeruandum, per alternationem & communicationem proprietatũ, quia natura diuina CHRISTI nobis ve-

riſſime

riſsime adeſt, hoc ipſum communicari poſſe humanitati. Vt CHRISTVS cum loqueretur in terra, filium hominis dicebat eſſe in cœlis, & ſic humanitati attribuebat quod fuit diuinitatis. Et hoc pacto in communione, naturã humanam CHRISTI nobis adeſſe concederem, id ſi per communicationem idiomatum exponerem.

ter & humana poteſt dici preſens & alleoſim. 10.

Curpatres uſi ſint hyperbolis.

Poſtremo ſi quæras, cur patres his tropis aut hyperbolis vſi ſint, dicemus: partim vt phraſim ſcripturæ ſequerentur, partim vt animos hominum uehementius percellerent. Deinde vt oſtenderent iſtam ſignificationem ſacramentorum non comicam, aut tragicam eſſe. Nam in illis perſonatus quiſpiam, poteſt Hectorem aut Priamum repræſentare, nec præterea quippiam conſequitur, quod magni momenti ſit. Hic vero res repræſentata vi Spiritus Sancti, & datur & imprimitur in animis noſtris per fidem, ſequuntúrque multa dona & gratiæ, ac potiſsimũ arcana et ineffabilis vnio cum CHRISTO, vt vere cũ illo vnũ efficiamur

1. PRIMA autem obiectio fuit ex Ire-
p. 46. næo, qui ait panem terrenum vocatione ac
cepta, non esse communem panem, sed fieri
Eucharistiã. Hoc nos libenter admittimus,
qui non hic ponimus prophanum & vulga
rem panem, sed sanctum, quiq; iam vt ille di
cit, sactus sit Eucharistia. Sed quæ sequun-
tur magis pro nobis faciunt: Scribit enim,
Eucharistiam ex duabus rebus constare, ni
mirũ cœlesti atque terrena, & non inquit,
ex accidentibus rei terrenæ: Subdit postea,
ita nostra corpora Eucharistiã susciptentia
non esse corruptibilia, spem resurrectionis
habentia. Et si tanta mutatio ab eo ponatur
in corporibus nostris, vt eam æquet mutati-
oni panis, (inquit enim, sicut panis ille non
est amplius communis, ita corpora nostra
nõ amplius esse corruptibilia) quid opus erit
transubstantiatione? cum mutationes istas
faciat vtrinq; pares, & pateat nostra cor-
pora non transubstantiari? Adducebatur
secundo loco Tertullianus, & is quoq; secũ
Ad Tertul lianum. habet declarationem. Non solum inquit pa-
nem

hem acceptum fecit Dominus corpus suum, cum diceret, Hoc est corpus meum, sed adiecit. i. figura corporis mei. Obijciebant de Origene, quod scripserit Dominum fateri panem esse corpus suum, id nos minimè negamus, tota autem concertatio est de modo quo sit corpus Domini, & de hoc ipse apertè alibi docet figuras hic esse, & hunc panem dici verbum nutritorium animæ, ac docet non esse inhærendum sanguini carnis, sed sanguini verbi. Cyprianus videtur loqui durius, quando panem hunc inquit, non effigie, sed natura mutari. Verum spectandum est ad Cæcilium quid scripserit, nimirum cum vino demonstrari sanguinem DOMINI. Et si desyt vinum in calice, non posse videri sanguinem DOMINI ibi esse. Quod verò inquit nunc de mutatione, illam quoque nos concedimus, sed sacramentalem. Et tunc fatemur non effigiem, siue fortunam, & accidentia panis, subire hoc munus, vt sint sacramenta, sed naturam & substantiam ipsam panis & vini mutari

Ad Origenem.

Ab Cyprianum.

Quō natura panis mutetur.

in sacramenta corporis & sanguinis Domini. Vtq; substantia ipsa panis, & non effigies nutrit, ita corpus Christi & animam nostram alit, & corpus fouet, atq; instaurat. Vtq; substantia ipsa panis constat ex multis granis, ita corpus mysticum quod repræsentat, multa habet simul coniuncta membra. Vnde tã nos, quã aduersarij dicimus effigiẽ, id est panis apparentiam, & aspectum non mutari, sed substantiam esse quæ mutetur. Et illi quidem volunt mutationem esse per abiectionẽ naturæ panis, nos verò ponimus tantum sacramentalem mutationem. Et cõtra aduersarios facit, ipsemet Cyprianus, nã ipsi substantiam panis non mutant, verum prorsus auferunt. Nos mutari dicimus, vt quæ corpus Christi fiat, id est sacramentum corporis CHRISTI, quod ante non erat. Addas his, naturam, apud bonos authores latinæ linguæ, non semper significare substantiam, sed vim, ingenium, & proprietatem. Vnde Cicero de somnio Scipionis, animæ natura propria, atque vis, vt

Quid natura.

ipsa,

ipſa, à ſe ipſa moueatur. Et ad Lentulum, eam eſſe naturam & religionem prouinciæ tuæ. Et cum dicitur natura herbarum, natura lapidum, & alia huius generis. Quæ ſignificatio huic dicto Cypriani bene quadrat. Obijciunt Ambroſium, & potiſſimũ in libris de ſacramentis. Qui libri ab aliquibus exiſtimantur non eſſe Ambroſij. Roffenſis inuehit in eos, qui ſic putant, & inquit omnino credendum eſſe Auguſtino, qui iſtos libros Ambroſio aſſerit, & aperte atteſtatur Ambroſium ſcripſiſſe libros de ſacramentis, & prologum citat ſuper libros de doctrina Chriſtiana, quem ego frequenter legi, & nunquam quod iſte ſcribit inuenire potui, Niſi forte intelligat quæ in libris retractationum ſcripſit, cum meminit ſuorũ ſcriptorũ de doctr. Chriſt. ibi tale quippiã habet. Deinde illud probe ſcio Aug. contra Iul. Pelag. citaſſe Ambroſium de ſacramento regenerationis, vel de philoſophia, non tamen hos libros de myſterijs, vel de ſacramentis, & quæ illic citantur in his libris de ſacramentis non habentur. Sed hoc non mul

Ad Ambroſium.

De libris in ſcriptis Ambroſio de ſacramentis.

Locutiones Ambrosij.

tum moror, fac esse Ambrosij, non per omnia à nobis dissentiunt. Nam sæpe meminit significandi, & quod appellantur, & dicuntur hæc sacramenta corpus Christi, quæ nos minimè inficiamur, & si quandoque meminit mutationis, vel conuersionis, de sacramentali hæc intelligenda sunt. Præterea ipse idem inspiciendus est quid alibi dicat. Primum de officijs libro 1. cap. 48. habet. Hic vmbra, hic imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus: antea agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, sed offert se ipse, quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem, quasi aduotus pro nobis interuenit. Et super priore epistola ad Corinthios, vt superius iam citauimus, inquit: In edendo & potando, carnem & sanguinem Christi, quæ oblata sunt, significamus. Et cum de sanguine loquitur, ait nos, in typũ eius accipere calicem mysticũ.

Ad

Addas quòd idem in his libris de ſacramentis, in eo qui quartus eſt capite quarto, apertè ponit mutationem noſtram in Chriſtum quod ſæpe in alijs patribus annotauimus.

Nunc ſupereſt vt videamus de Chryſoſtomo. Induxerunt eius ſimile de cera, quæ appoſita ad ignem, quoad ſuam ſubſtantiam, deſtruitur, vt nihil remaneat, aut ſuperfluat, ita inquit, putes myſteria conſumi à ſubſtantia corporis Chriſti. Quid aiunt poteſt eſſe pro tranſſubſtantiatione apertius? Sed hic exiſtimo eſſe operæ pretium, vt Chryſoſtomum ipſum excutiamus, quo apertè videatis quam rectè annotata ſint, quæ præfati ſumus de locutionibus patrum. Is in homilia octuageſima tertia ſuper Matthæum inquit, Multi dicunt ſe velle ac cupere formam ſpeciémque Chriſti videre, item veſtimenta & calciamenta eius ſpectare, ipſe vero ſeipſum tibi tradit, non ſolum vt ſe videas, verum vt tangas. Nonne hic intelligimus ipſum attribuere rei ſacramenti, quod eſt ſymbolorum, nimirum vt corpus Chriſti

Ad Chryſoſtomum. 47.

Hyperbola Chryſoſtomi.

tangatur, & videatur? quod tantum de symbolis verè esse quis non animaduertat? Rursus in eadem homilia: Nos secum in vnam (vt ita dicam) massam reducit, neque id fide solum, sed re ipsa corpus suum efficit. Quod idem scripsit in homilia sexagesima & sexagesima prima, ad populum Antiochenum: Nos inquam, non solùm fide & dilectione, sed re ipsa, fieri & misceri corpori Christi. Atque id si ita est, vt nos non transsubstantiemur, & nihilominus tam arcte iungamur Christo, quid oportet panem transsubstantiari, vt corpus Christi efficiatur? Sed posset scrupus oriri, quasi Chrysostomus contra nos faciat, qui perceptionem istam per fidem ponimus, cum ille dicat non solum per fidem, sed re ipsa nos illi misceri, & in illum mutari. Verum hic est obseruandum, quod etsi per fidem statuimus corpus Christi & sanguinem edi aut bibi, tamē ad istam sumptionem per fidem, consequitur non ficta, sed vera coniunctio inter nos & Christum, qua non solum noster animus cū ipso

Nō solum fide, sed re uera misceri cū Christo.

ipso vnitur, sed etiam corpus & caro nostra inde habet suam instaurationem, efficimúrque verè membra Domini, et ipsum nostrum caput suscipimus, ex quo perpetuo et spiritum & vitam haurimus. Atq; hoc est quod reipsa nos Christo coniungi Chrysostomus dixit. Adde quod in eadem homilia super Matthæum ait, Ista esse symbola Domini Iesu, quibus obturamus ora hæreticorum, qui quærunt, quomodo Christus sit passus. Nam si non veram habuisset carnem & vere passus esset, vana essent hæc symbola. Habet in eadem homilia, Nostram linguam cruentari, in perceptione sacramentorum. Et ne cauilleris cruorem intelligi inuisibilem, quò vnà cum vino vel accidentibus, vt ipsi loquuntur, vini, lingua nostra cruentetur. In homilia quam habuit idem pater ad Antiochenos 60. scribit, quod lingua nostra sanguine isto rubeat, Vbi quis non videat hyperbolem esse? Et habet in Encæniis, in cratere sanguinem esse haustum è latere Domini, Quod nõ potest, ut dicitur, credi,

Declarat Chrysost. suas hyperbolas.

quandoquidem latus Domini hodiè non est apertum, & inde sanguis non hauritur. Scribit præterea eadem homilia: Nũ panem vides? aut vinum? subdit, absit. Certè si hic interroget sensus, responderent non esse verum quòd dicit. Nam iudicio nostri sensus, et panis & vinum adest, sed ille verè loquitur quando subdit, nõ ita cogites, quia quoad nostram existimationem, oportet ista facessere. Scribit idem, Ne putes te ex homine accipere corpus Christi, sed à Seraphin qui astet, & cum forcipe tradat tibi carbonem ignitum. Hic non arbitror istos velle transsubstantiare ministrum, aut pastorem, qui nobis porrigit sacramenta. Et subiecit, Accurramus ad exugendum sanguinem, qui ex latere Domini profluit, Ista ne scholastici quidem audent dicere. Nam ipsi scribunt panem & vinum in substantiam corporis & sanguinis, non tamen ita, vt veræ substantiæ corporis Christi quippiam vel accedat, vel decedat. Et ad populum Antiochenum 61. habet, non solum Christum præbuisse

Negatio quandoq; intelligitur excolatione.

huisse nobis se videndum, sed etiam tangendum, atq; palpandum, cuius carni etiam dentes infigamus. Quo loco etiam uides, quod est symbolorũ attribui rei significatæ per sacramenta. Non enim pertingit dens noster ad substantiam corporis Christi, sed tantum ad panem, ad symbola, & sacramenta. Ipse idem ait in homilia. 60. ad populum Antiochenum, nos non debere putare sacerdotis manum porrigere sacramentum, sed existimare manum Christi extensam hoc facere. Nec minus in baptismo ipsum eundem esse, qui istud exequatur munus, videlicet baptizandi. Et. 61. admonet, vt cogitemus nos Christum sedentem in cœlis, qui adoratur ab angelis, in hoc sacramento gestare. Quibus omnibus non est obscurum, hunc nostrum patrem, curasse omnibus modis, animos cõmunicantium à signis crassioribus, et à symbolis externis, euocare ad diuina, atq; cœlestia meditanda. Mirandumq; est, istos qui excutiunt adeo diligenter loca patrum, nõ producere id quod habetur in homilia, 61. ad po

Quod est symbolorũ, rei attribuitur.

pulum Antiochenum. Et petulantes et contumaces esse eos, qui administrationi sacramentorum astant, & non communicant, Qua in re asseuerat eos Christo facere luculentam iniuriam. Sed ne ab eo discedamus, quod in argumento propositum est, nimirũ homilia in Encenijs, de cera quæ ad ignem tota diffluit: Respondemus, eo loco habere Chrysostomum idem hoc verbum, Puta, ut intelligamus ista non esse accipienda, nisi quo ad nostram fidem, et cogitationem, qua panem & vinum communicando non complectimur per se ipsa, sed quærimus res quæ per significantiam, et quidẽ efficacem, istis coniuncta sunt. Producimus deinde par simile ex Cyrillo in lib. 10. cap. 13. super Ioãnem ubi ceram dicit liquefactam, & alteri ceræ permixtam, ita ut ex duabus prorsus vnum fiat, referre id quod agitur in huius sacramenti perceptione, quod est vt vnum efficiamur reuera cum Christo. Idemq; habet lib. 4. cap. 17. Quod si hoc simile de cera inter nos & Christum locum habet, absq; transub-

Contra eos qui adstant & nõ cõmunicãt.

Cyrilli idẽ simile de cera.

ſtantiatione corporis noſtri, idem ſtatui poteſt de ſimili Chryſoſtomi, quod ponit inter ceram & ſymbola ſiue myſteria. Aduerſarij præterea interrogandi ſunt, num iſta ſimilia velint aquariper omnia. Quod ſi conceſſerint, oporteret eos & accidentia panis ex iſto ſacramento auferre, nam cera quæ adhibetur igni, nõ tantum deſtruitur, quoad ſubſtantiam, uerum etiam quoad accidentia. Quod ſi nolint ſimile in hac parte locum habere, tum liberum & nobis erit, totum hoc accipere, quoad noſtras animi cogitationes, & fidei complexum, et tibi fatebimur, quo adipſum, naturam & panis & vini abire, animũq; noſtrum tantummodo inhærere ſignificatis, & rebus, quæ per ſymbola nobis offeruntur, id eſt corpori & ſanguini Chriſti. Et de Chryſoſtomo tantũ ſit dictũ, in quo videre poſſumus, vt vere ea locũ habeant, quæ de patrib. antea præfati ſũus. Auguſtinus poſtea obijciebatur, qui diceret ſuper Pſ. trigeſimo tertio Chriſtũ ſe geſtaſſe ſuis mãib. et id quidẽ in poſtrẽa cœna, quãdo Apoſtol. Ad Auguſtinum.

Christus gestauit se suis manibus.

sacramentum distribuebat, hoc autē nos minime inficiamur. Quid enim prohibet Christum gestasse suis manibus corpus suum, si per corpus intelligas sui corporis sacramentum? Et hoc est quod Augustinus ad finem istius loci adiecit, Quodammodo, ac si diceret, non simpliciter se gestauit, sed aliquo modo, is vero est quem modo diximus. Eundem Augustinum opponunt nobis libro 3. de trinitate, ubi inquit, Panem ad hanc uisibilem speciem per manus hominum perduci. Sed non posse fieri tantum sacramentum, absq; operatione inuisibili spiritus sancti. Est autem mirandum non leuiter, quomodo isti ullum aliud opus spiritus sancti in hoc sacramento non agnoscant, nisi transubstantiationem. Nam audito nomine operis spiritus sancti in hoc sacramento, transubstantiationem ilico inferunt. Cum tamen symbola hæc ad statum & conditionem sacramentorum non possint euehi, aut transmutari, nisi ope diuina: uidelicet instituto domini, sacris verbis, & efficacia spiritus sancti. Quia non amplius

Opus est spiritus sācti ut hæc elementa fiant sacramenta.

amplius incurſant hæc ſacra animum noſtrũ uulgari & communi more, ſed efficaci atq; vehementiſsimo ſpiritus impetu. Et eiuſdẽ ſpiritus ſancti vi, ac operatione mentes & animi noſtri permouentur, ad res ſacramentorum complectendas. Nunc ad Auguſtinũ qui. 93. pſal. ſuper illud, Adorate ſcabellum pedũ eius, inueſtigat, quodnam ſit iſtud ſcabellum, et tandem inuenit dici in ſcripturis, Terra eſt ſcabellum pedum eius. Sed quomodo inquit, adorabimus terram? nonne ſcribitur, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies? et præcipitur vt ea quæ ſunt in cœlis, aut ſuper terrã, uel in aquis, aut ſub terra nõ adoremus? Verũ ſubdit, quãdã eſſe terrã quæ iure adorari poſsit et debeat. Nam inquit, filius dei naturã humanã aſſumpſit, id eſt carnẽ ex virgine, et illa dicitur terra in ſacris literis, quãdoquidẽ noſtrũ corpus è terra ſũptũ eſt. Carnẽ uero Chriſti adorãdã eſſe inde patet, quia cũ illã ad mãducandũ exhibuerit, nemo eã mãducat, quin prius adorauerit. Hæc Auguſtini verba nihil cõtra nos poſſunt, quia carnem Chriſti adorandam

Idololatriam non cauet aduersarij.

esse propter coniunctionem, quam habet cũ natura diuina, minime inficiamur. Contenditur hic, an ea latitet operta sub accidentibus, non utrum adoranda sit, sed aiunt: Si ibi non esset in sacramento, & panis illic haberetur, esset idololatria, Quibus respondemus, quod par etiam illi periculũ incurrãt, nam deberent accidentia submouere, ne adorarẽtur, et calicẽ ipsum transubstantiare. In

Symbolis aliquis honor tribuitur sed citra adorationem.

sacramento autẽ distinguimus symbola à rebus, et symbolis aliquẽ honorẽ tribuimus, nimirũ ut tractentur decenter, et non abijciantur. Sũt enim sacra res, et deo semel deputata. Quo uero ad res significatas nimirũ corpus et sanguinem Christi, eas prompte et alacriter adorandas concedimus, Inquit enim Aug. hoc loco non peccatur adorando carnem Christi, sed peccatur nõ adorando. Ve-

Quõodo sit adoranda caro Christi.

rum monet interim carni Christi non esse inhærendum, sed mentem subleuandam ad naturam diuinam, cui coniuncta est caro nexu indissolubili, alioquin ait, Caro non prodest, sed spiritus est qui viuificat. Vbi annotabis

istud

ſtud ſeruatoris dictum, quod habetur Ioannis. 6. accipi ab Auguſtino de carne Chriſti, non autẽ de carnali intelligentia, vt quidam volunt. De adoratione vero paucis perſtringam, & commemorabo quod alias dixi in expoſitione huius epiſtolæ, illam conſiſtere in inuocatione, confeſsione, quæ duplex eſt, & cordis & oris, atq; in gratiarum actione. Ea autem debentur & Deo et Chriſto, ubicunq; ſe nobis declarat. Hoc autem fit modo triplici: Primum, verbo interno, cum ſubit animos noſtros ui diuini ſpiritus, aliqua vehemens cogitatio de Deo & Chriſto, tunc adoratio conſequitur, quia vel fatemur, uel inuocamus, aut gratias agimus.

Adoratio in quibus rebus conſtituatur.

Deus & Chriſtus adorãdus ubi ſe nobis declarant.

Declarant quandoq; ſe iſta nobis per externa verba, cũ ſanctas ſcripturas ipſi legimus, aut ſacras audimus conciones, tunc ſæpenumero incitamur ad inuocandum, vel ad alia quæ ſpectent ad cultus rationem. Demum ſe declarat aliquando Chriſtus & Deus externis ſignis, vt in monte Syna. Iſaiæ ſub forma regis in ſolio ſuo cõſidẽtis, in arca

fœderis, aut in Sacramentis, & ibi quoque adoratio impenditur. Sed quemadmodum Augustinus admonebat, sistendum non esse gradum in carne, sed accedendum ad diuinitatẽ, ita hic ego moneo adorando, cum percipimus Eucharistiam, non esse consistendum in symbolis, sed adorandum in spiritu & veritate Christum sedentem in cœlis, ad dexteram patris. Quod quia simpliciores nõ intelligunt, propter confirmatum & robo ratũ errorẽ transubstantiationis, ideo existimarim non esse inutile, si ab adoratione externa, puta à prostratione, uel genuflexione temperaremus, quoad isti docerentur. Adoratio interna potest absq; periculo adhiberi, neq; externa sua natura esset mala. Multi enim pie genuflectunt & adorant, illis verbis Euangelij auditis, Et verbum caro factum est, nec tamen ipsa uerba dicendi sunt adorare, verum significata. Quod idem hic fieri quid prohibet, modo nõ adorentur symbola, sed quod per illa significatur? Verum hoc tempore ob prædictam causam fortassis adora-

Num adoratiõe per externa signa liceat uti coram Eucharistia.

Picturæ et statuæ nũ adorandæ

udoratio externa, non est oportuna, nisi frequens de his rebus esset in concionibus mentio. Neque ex meis dictis ansam quis arripiat, licere statuas aut picturas adorari, eò quòd ibi Deus & Christus videantur nobis interdum efficaciter se declarare, quoniam apertum verbum habemus ne imagines nobis faciamus ad adorandum, sed quoad verba sanctæ scripturæ, & sacramenta, vt audiendo vel percipiendo ea adoremus, nihil prohibet, quia Dei sermone, voluntate, ac iussu instituta sunt, vt ad cultum Dei prouocemur, qui situs est in adoratione. Nec minus ex hoc elicere debes Eucharistiæ reliquias adorandas esse, nam quicquid habent virium symbola, id ex spiritu sancto, verbis Domini, & instituto eius habent, quæ extra vsum sacramenti non extant. Et promissio habetur dum manducamus & bibimus. Quare dogma illud de conseruatione non fuit catholicum, quia tempore Hesychij, vt ipse testatur super Leuiticum, Eucharistiæ reliquiæ comburebantur, quod idem habes in

Reliquijs eucharistię dost usum sacramẽti.

Origene super Leuiticum, licet idem sit liber qui duobus adscribitur. Et clemẽs Romanus Pontifex, vt patet ex eius Decreto, quod habetur de consecratione, distinctione 2. constituit, vt reliquiæ sacramenti huius comederentur à clericis, Non negamus quandoque fuisse seruatas, verum id fiebat absque adoratione, & superstitiosis cultibus. Dabãtur pueris & mulierculis deferendæ ad ægrotos, vt liquet ex historia Eusebij Cæsariensis, et ex Hieronymo. Sumptionémque istarum reliquiarũ quæ ita fiebat extra cœtum sacrũ, & ritum à Domino institutum, non facile dixerim, fuisse iustam cõmunionem. Quam tamen haberi potuisse, apud ægrotos concederem, modo repetierint sacra verba, & aliquot fideles ibi Domini ritum inter se agitarint. Vbi enim plures non cõmunicant, ratio sacramenti huius non retinetur: Christus dixit, Accipite, edite, & bibite. Frangitur panis quod ad distributionem pertinet, atque in canone suo multa dicunt, quæ nisi multi communicent, mendacia sunt. Præterea dici

De Eucharistia missa p domos.

tur

tur cœna, communio, ſynaxis, quæ nomina priuatæ actioni parum conueniunt. Neque priuatas miſſas unquã apud ueteres legimus.

Honorius Romanus Pontifex decretum induxit, vt Euchariſtia ſeruaretur, & adiecit honorem ac reuerentiam illi exhibendam cum circumferretur. Quod ſi ante eum factum fuiſſet, illum non oportuit hac de re ſancire Decretum. Vtque in ſumma agamus, hoc ſacramentum aſſerimus (vt prius dictum eſt) ſuam non habere vim, aut efficaciam, niſi dum agitatur & percipitur, quod & in omnibus alijs ſacramentis fieri vides. Hilarius nobis opponitur, ſed is habuit maximas controuerſias cum Arrianis, contra quos agit, quod putarunt inter patrẽ & filium non eſſe coniunctionem, niſi per concordiam voluntatis. Hilarius contra iſtos inquit: Vos interrogo, an inter nos & Chriſtum coniunctio ſit ex proprietate naturæ, vel ex voluntatis concordia? Volebant enim Arriani arripere illum locum quò Chriſtus precatus eſt, vt nos vnum Ad Hilariũ

efficeremur cum ipso, sicuti ipse & pater unum sunt inter se. Locus est in Ioanne cap. 17. vbi dicitur, Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Adijcie bant hæretici nos minimè habere cum Christo coniunctionem, nisi consensus & voluntatis, atq; per hoc inferebant, inter filium Dei & patrem, non aliam atq; istam vnionem siue coniunctionem intercedere. Fuit itaque Hilarij demonstrare nos Christo vniri naturaliter, vt concludat filium quoque patri naturaliter adiungi. Probatio eius ita habet. Si Dei verbum verè assumpsit naturam humanam, carne sua naturaliter communicat nobiscum, & nos dicimur manere in eo, quia ipse habet in se naturam nostram. Et viciſsim in dominico cibo, si nos accipimus verè carnem illius, participamus cum eo naturaliter, & verè ille manet in nobis. Atque ita Hilarius argumentatur à veritate sacramentorum, quam nos minimè inficiamur, fuitque is mos veterum, vt à sacramentis, quasi à rebus notiſsimis, argumenta depro-

depromerent. Nihil autem istorum est quod nostræ sententiæ aduersetur, quia Hilarius non contendit sub accidentibus, aut in hoc sacramento latitare, atq; opertam esse Christi carnem, sed astruit tantum, nos communicando, vere coniungi carne Christi, quod nos minimè negamus. Verum mihi consydera illum eundem non multo ante hæc verba quæ facit de Eucharistia, idem dicere de baptismo, quod per illum Christo coniungimur, & inter nos, non solùm vnitate assensus & voluntatis, sed naturæ, quare cogemini ibi quoque ponere transsubstantiationem. Si propterea in Eucharistiam illam infertis. Non multum ab hac consuetudine sumendi argumenta à sacramentis, abest Chrysostomus, qui in homilia super Matthæum 83. inquit (vt supra citauimus) hæc symbola esse Domini Iesu, quibus & refrenamus, & oppilamus ora hæreticorum. Dicunt enim sæpius quomodo passus est Christus? & nos vicissim obijcimus, si Christus veram carnem non habuit, inania sunt hæc symbola. Quod

bene sequitur, quia res fictitias nobis repræsentarent. Atque ita Manichæi, Marcionitæ, & aliæ huiusmodi pestes ab illis compescebantur. De Leone Pontifice Romano, nō est quod multum laboremus, quia ille in sententia nobis obiecta, & mysticam distributionem asserit, ponítque spiritualem alimoniam, atq; virtutem cœlestem, nósque affirmat in carnem Christi transire, sicut ille nostram sumpsit. Emisenum citant, cuius verba leguntur de consecratione dist. 1. sed illic si rectè inspicias, hæc verba inuenies: Mente attingas, & manu cordis accipias corpus Christi. Ex quibus verbis liquet, eum statuere, nos mandducare spiritualiter corpus Domini, vrget præterea vehementer vt cæteri patres, mutationem nostram in Christū, quæ tamen (vt videmus) fit absq; transsubstantiatione. Scio posse nonnullos, cur tam sæpe opponamus mutationi, quam videntur patres astruere in symbolis, mutationē nostri, quam eandem constanter affirmant. Imaginétúrque aliqui esse longè aliam coniunctio

Ad Leonē.

Ad Emisenum.

Mutationē nostri in sacramentorum perceptione cur tā sæpe cō memoramus.

nem

nem inter corpus Christi, et symbola, quàm sit inter nos & corpus Christi, ideóque non tenere analogiam & proportionem, tametsi patres vtranque ponant. Istis occurrimus, & dicimus, argumentum nostrum esse efficaciſsimum, quia est à maiori ad minus per negationem, est enim maior coniunctio Christi ad nos, & cum illis qui communicant, quam sit cum symbolis, cũ igitur quoad nos minimè requiratur transſubstantiatio, multo minus in symbolis. Quod autem nos magis coniungamur Christo quam symbola, ideo patet, quia ea coniunctio propter istam adinuenta fuit. Deinde, verba & spiritus, per quæ consecrantur symbola, multo minus ad illa, quam ad homines pertinẽt. De Theophylacto dicimus, quod scriptor est recens, & qui forte in illa tempora incidit, cum de transſubstantiatione multa cepta sunt agitari, sub Nicolao Pontifice Romano, tempore Lanfranci & Berengarij. Deinde homo fuit non magni iudicij, vt patere potest ex illius interpretatione 3. ca. Ioan. ad finem,

Nos Christo magis coniungimur quàm symbola.

Ad Theophylactum

vbi taxat nominatim Latinorum ecclesiam de processione spiritus sancti, quod ex patre sit & filio. Ideò non putabimus authoritatem eius tantam esse, quæ veritati præiudicare debeat, nihilominus dicta eius excutiamus. Asserit panem non esse figuram corporis Christi, atq; id super Matthæum. Quod si intelligat vacuam aut inanem, recte dicit, neque nos talem figuram ponimus, & hanc interpretationem illius esse non dubitamus, quia super Marcum asserit non esse figuram tantum: alioquin si prorsus negaret figuram esse, aduersaretur cæteris patribus, quos apertè ostendimus, & signum & figuram, hic ponere. Ait panem transformari, conuerti, & transelementari, quas locutiones si accipiat sacramentaliter, non abhorremus. Nam panis & vinum sacramenta fiunt, et transeunt in elementa diuinarum rerum, formámque induunt symbolicam. Cæterum inquiunt, scribit iste, idcirco non videri carnem & sanguinem, ne horreamus, sed hæc verba si tu velis acrius vrgere, obijciemus,

quod

quod ille ſcribit in Marcum, Conuerti ſpecies panis & uini in uirtutem corporis & ſanguinis domini. Quod ſi dixeris alibi non inquit in uirtutem, ſed in corpus et ſanguinem domini, reſpondebimus hanc eſſe interpretationem illorum uerborum, quòd iſta ſymbola uirtutem aſſumant rerum, qua uirtute nõ minus habent ſacramenta, ac ſi res ibi eſſet, & quemadmodũ dixi, horror tollitur, ſi ſtatuamus non in rem, ſed in uirtutem fieri mutationẽ. Violentior uidetur alia ſententia eius, quam habet in ca. 6. Ioan. ubi ſcribit, Sicut mutabatur, dum ſuper terram Chriſtus uiueret, panis in carnem eius, uſitata ratione alimenti per naturalẽ transmutationẽ, ſic iſte panis mutatur in corpus Chriſti. Hanc tamen collationem generaliter acceptam concedimus. Nam & in hoc ſacramento mutationem ſacramentalẽ non negamus. Quod ſi dixeris te uelle ſimilitudinem hanc ſumere prout affertur, ut tam uere mutetur panis in ſacramẽto Euchariſtiæ, ut in cibo & alimento CHRISTI, con-

Species panis & uini in uirtutẽ mutantur.

uertebatur in eius carnem, dum hic uiueret, consequetur absurdum admodū repugnans tuæ sententiæ, scilicet accidentia symbolorum non esse in hoc sacramento retinenda, quia ibi in alimento CHRISTI, dum hic uiueret non seruabantur. His adijciam, quod iste idem interpres, cap. 6. super Ioannem, in illa uerba scribit, Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, ait hoc fieri, dum quodam modo miscetur mihi, & transelementatur. Vbi rursus vides eum ponere vt cæteri patres tantam mutationē nostri in Christum, ut scribat nos in eum transelementari, et tot de Theophylacto. Ex recentioribus adducunt Anselmum, Hugonem, & Richardū Victorinos. Cæterum cum illorum tempestate, iā dogma transubstantiationis obtrusum esset, scriptis suis inseruierunt tempori, neq; debet istorum noua inuentio præiudicare ve tustissimæ opinioni ecclesiæ, & antiquorum patrum sententiæ. Sed inter alios unum videntur plurimi facere, & ipse est Ioannes

Ad Anselmū & Hugonem.

Dama

Damascenus, qui in quarto libro orthodoxæ fidei. capite. 14. hac de re fusissime scripsit. Cæterum istum vixisse inuenio sub Leone Isaurico Græco Imperatore, & inter Gregoriũ magnum Romanum pontificem, atque istum Ioannem, interfluxerunt bene centum & viginti anni. Cumq; iam tempore Gregorij multa superstitiosa, & hominũ inuenta coaceruarentur in ecclesia, res postea semper in deterius est præcipitata. Vnde non mirum, istum Damascenum in complura minus vera & superstitiosa impegisse. Quanti vero iudicij fuerit, tum in dogmatibus, tum etiam in sacris literis exponendis, habemus specimen. Nam imaginibus mirifice fauet, & pro illis tuendis grauia periculo obijt, atque in isto eodẽ libro quarto, proprium caput ea de re conscripsit, vbi vult nõ solum eas faciendas esse, verum etiã colendas & honorandas. Præterea sanctorũ qui iam quieuerũt reliquias tãti fecit, ut ipsis quoq; certũ caput dicaret, ubi eas nõ veritus

Ad Ioan. Damasce-num.

Aetas Damasceni.

Damasceni iudicij non adorant in uerbis theologicis.

appellare fontes donorum Dei. Et dicere vndet nos debere fide sanctos colere, quod est intollerabile, cum fides tantum Deo & verbis illius debeatur. Sermonem habet de purgatorio, ubi precibus Gregorij, Traianum Imperatorem idololatrã, & martyrum persecutorem, liberatum fuisse ab inferni supplicijs autumat. Et precibus cuiusdam alterius Falconillam item fœminam idololatricam seruatã fuisse, cum iam mortua esset, ac tartareis pœnis detineretur. Atq; inducit fabulam de quodam Macario, qui sit collocutus cum defuncti hominis cranio, à quo audiuerit tempore sacrificij missæ, defunctorũ animas, quæ in supplicijs vexantur, mitius habere, totumq; sermonem his fabulis respergit. Isq; idem, cum de resurrectione scribit, eam probare nititur ex libro Geneseos, vbi legitur Dominum dixisse ad Noah: Carnem cum sanguine non comedas, etenim requirã animas vestras de manibus bestiarum. Is inquit in resurrectione eas requiret, neq; enim propter hominem bestiæ moriuntur. Videtur

tur ignorare legem à Deo latam in Exodo, ac in Deuteronomio, ubi mandatur lapidari bos qui cornupeta fuerit, & hominem occiderit. In capite autẽ de virginitate ſcribit, Si Adamus non peccaſſet, non fuiſſent homines commixti in matrimonio ad procreandum, & quia videt ſibi obſtare diuinam ſententiam, Creſcite et multiplicamini, inquit, homines forte potuiſſe ex alia parte corporis multiplicare. Ex theologis ſcholaſticis nullus hæc diceret. Idem torquet Baſiliũ. Nam cum videat eum dicere panem & vinum ἀντιτυπα eſſe, id eſt exẽplaria corporis Chriſti, exponit illum, id intelligere, ante conſecrationem, quod abſurdiſsimum eſt, nam ante conſecrationem, nil plus habent, quam alij communes cibi. Et ſi ita ſignificarent corpus & ſanguinem Chriſti, iam ſacramenta eſſent ante verborum Domini prolationẽ. Deinde in Græcorum miſſa, poſt conſecrationem apertiſsime orant, ut panis fiat corpus & ſanguis Chriſti. Et nominatim in miſſa Baſilij res ita habet, ut poſt conſecrationem

Torquet Baſilium.

illa verba ponantur. Quæ & in nostro canone, si bene respiciatur, post consecrationẽ nominatur panis. Sed iam uidenda sunt eius argumenta. Primũ est à potentia Dei, nam cum ualuerit cœlum & terram suo uerbo condere, plantas educere, animantia, uolucres, & pisces, cur non possit ex pane corpus suum facere? Quod genus argumenti est infirmissimum, neq; de potentia Dei nunc est disputatio, quandoquidem non negamus deum posse panem in carnes conuertere, sed tota contentio est, num id facere uelit. Alterum argumentum eius ex locutione Christi deducitur, non enim inquit à Domino dictũ est, Hoc figura aut signum est corporis mei, sed ipsum corpus Domini prædicatur. Cæterum ad hoc argumentum iam supra respondimus. Etsi iste cum negat sacramentum figuram esse corporis Domini, id simpliciter intelligat, aduersum se habet fere omnes Patres, qui figuram hic agnoscunt. Sin uero intelligat non esse figuram tantum, id est cassum aut uacuum signum, nos quoq; id liben-

Defensio qualiscunque Damasceni.

ter

ter damus. Quanquam immiſcet quædam uerba in ſuis ſcriptis, in quibus uideri poſſit non tam craſſe ut præfefert ſenſiſſe. Nam inquit: Panis communionis non eſt ſimplex panis, uerum diuinitatem habet adiunctam, quæ nos facile admittemus, qui non dicimus hic eſſe communem, aut ſimplicem, ſed iam ſanctificatum, conuerſumq; in naturam ſacramenti. Et diuinitas iccirco poteſt dici ei coniuncta, quod ipſo ut inſtrumento utatur ſpiritus ſanctus, ad noſtram ſalutem. Præterea collationem habet ad baptiſmum, quæ dicit conſueuiſſe Deum condeſcendere noſtræ conſuetudini, & uſitatis moribus, & quia homines lauare ſolent aqua, & ungi oleo, iccirco adiunxit Deus ijs rebus gratiam ſuam, & ſpiritum baptiſmo. Ita cum mos hominum ſit edere panem, & bibere uinum, ijs rebus adiunxit ſuam diuinitatem. At ſecundum tranſubſtantiatores non adiunxiſſet, uerum expunxiſſet illas naturas. Et ratio collationis requirit, ut ſicut baptiſmi coniunctio cum gratia & ſpiritu

ſancto, non repellit aut extinguit naturam aquæ, ita res huius ſacramenti, non perdant aut abijciant ſymbolorũ eſſentiam. Ait etiam Deum ita condeſcendiſſe noſtræ conſuetudini, ut per ea quæ ſunt conſueta, & ſecũdum naturam, in ijs quæ ſunt ſupra naturã collocaremur. Vbi attingit noſtram in Chriſtum tranſmutationem. Sed obſeruandum quod ſacramentorum ſymbola, dicit eſſe ſecundum naturam, & ea ſi ponas accidentia tantum, abſq; ſubiecto, aut quæ contectum habeant corpus Chriſti, non ſunt amplius ſecundum naturã, vtitur ſane verbis quibus dicit naturã panis, tranſmutari, tranſumi, effici corpus Chriſti, quæ ſi accipiantur de mutatione ſacramentali, contra nos minime pugnant, & quod etiam dicit ſupra naturã iſta contingere admittimus. Non enim eſt naturale, ut ex communi pane ſacramentum fiat, ſicuti nec ex aqua conſtituitur naturaliter lauacrum regenerationis. Quod ſi ab eo quæras modum iſtius tranſmutationis in corpus Chriſti, ait etiã nobis facile non eſſe modum

dum exprimere, quo in alimento naturali transeat panis in carnem nostram. Cæterum de hac similitudine quomodo accipi possit, superius egimus satis cum de Theophylacto loqueremur. Si accipias generaliter hoc simile, & applices ad mutationem sacramen talem satis est, sin verò specialiter volueris collationem fieri de tali mutatione, qualis est alimenti in corpore nostro, quando conuertitur in carnem, tunc non solùm cedere facies naturam panis, verum etiam eius accidentia. Subdit panem effici corpus Christi, & vinum & aquam sanguinem eius, vt iam non sint duo, sed vnum. Si referat vnum ad calicem & panem, quasi ista dicat vnum sacramentum esse, non multum laborarnus, quia in ista actione quasi vno sacramento Christus nobis propinatur, instar alimoniæ. Quamuis accipiendo geminam partem sacramenti huius non vereatur ecclesia, numero multitudinis, dicere, sacramenta hic esse, et in collectis missarũ post cõmunionem sæpe legis, Sacramenta quæ sumpsimus, et quæ

Eucharistia unum sacramentũ dicitur.

sequuntur. Sed si dixerint vnum sunt, ita, ut quasi post consecrationem iam panis & corpus Christi vnum sint, & non duo, ob incidentem transsubstantiationem, opponimus Irenæi sententiam, qua scribit Eucharistiam constare ex duabus rebus, nimirum terrena & cœlesti. Item Gelasium Papam, qui argumentatur à coniunctione panis cum corpore Christi, manentibus naturis integris, vnionem naturæ humanæ & diuinæ in Christo, manente vtraque integra & inuiolata. Subdit præterea non deijci hoc sacramentum in secessum, neque certè potest aliter dici à transsubstantiatoribus, cum enim haud ponant in Eucharistia quippiam præter accidentia, & corporis Christi naturam, nihil ex istis ad secessum pertinet. Contra hæc vero, ego obijcio locum apertissimum Origenis super Matthæum cap. 15. vbi interpretatur ea verba: Quod intrat in os, non coinquinat hominem, & inquit: Si non coinquinat, nec etiam sanctificat. Cæterum quid dicemus de pane Domini? num est verum,

Origenes de sacrato an incessum mittatur.

quòd

quòd neque ſanctificet, neque coinquinet? Reſpondet, quòd ſi quid impurum videatur, minimè contaminat nos, niſi per malam conſcientiã, Ita & quod videtur & apellatur ſanctum, niſi intus adſit iuſtitia, & integritas vitæ, non ſanctificat. Nam ſi ex natura ſui hoc haberet vt ſanctificaret, non fuiſſent inter Corinthios, imbecilles & infirmi, ac dormiuiſſent multi. Quod itaque materiale eſt in pane Domini, in ventrem tranſmittitur, & in ſeceſſum eijcitur. Quod verò eſt per obſecrationem & verbum Domini, animæ prodeſt, iuxta fidei portionem. Non itaque materia vtilis eſt, ſed verbum quod adijcitur, animo prodeſt. Et ne putes eum loqui de alio quopiam cibo, recapitulat & inquit: Hæc de corpore myſtico atque ſymbolico. Nullus autem ad hæc cauſetur, Origenem quandoque erraſſe in dogmatibus, quia Hieronymus, Epiphanius, & veteres, qui eius errores diligentiſſimè produxerunt, nuſquam meminerunt male eum ſenſiſſe de Euchariſtia, id non facturi, ſi 1 Corint. 11

in tanta re exorbitasset. Et in eodem loco apertissimè adijcit, impios corpus Christi non comedere, quia vinificum est, & qui illud manducat, in ipso manet. Isti ergo Ioanni Damasceno recenti scriptori, & non adeò illustri, obijciatur Origenes antiquissimus & summæ celebritatis. Post hæc ex concilio Ephesino obijciebantur nobis quæ à Cyrillo, nomine eius scripta fuerunt ad Nestorium Constantinopolitanum Episcopum, nã contra eum tunc agebatur, qui ponebat in CHRISTO personam humanam, à persona filij Dei prorsus discretam, atque seiunctam, vt non intercederet alia coniunctionis ratio, quam dignitatis. Contra illum argumentatur à natura sacramentorum: Si caro Christi est ita separata à persona diuina, consequitur, eam non esse vinificam. Cumq; nos comedamus in sacramentis carnem Christi, ederemus hominis carnem, vt cunq; sanctificati & excellentis. Sed inde iuxta promissionem, æternam vitam nõ possemus nanciſci. Hic est scopus omnium illarum

Ad Ephesinum concilium. p. 48.

rum disputationum. Non contendunt illi Patres, neq; conantur astruere, quod in pane latitet caro Christi, sed in sacramento volunt nos eam comedere, & quidem verè, ac talem comedere, quæ nobis vitam æternam donet. Quæ nos minimè negamus, modo esus, ad animum & fidem, intelligatur pertinere. Nam in sacramento manducare spiritualiter, sed vere, carnem Christi, concedimus. Nec vnquam fingimus talem quæ se iuncta & diuisa sit à diuina persona verbi. Concilium Romanum aut Vercellense nobis obijciunt, vbi fuit damnatus Berengarius, & ad palinodiam compulsus. De quibus conciliis, cum eorum acta non extent, multa non possumus respondere. Quare conducet, vt expendamus ipsam palinodiam à Nicolao Papa in concilio Berengario præscriptam, & ex ea videre poterimus, quæ fuerit grauitas istius concilij, & quàm bene fuerint mentis compotes, qui ei præerant. In Decretis de consecratione distinctione secunda, capite, Ego Berengarius, hæ

Ad concilium Vercellense & Romanum de Berégario

betur descripta, in qua iste coactus est fateri corpus Christi sensualiter, sacerdotum manibus tractari, frangi, & dentibus atteri: quæ vt benè conueniant corpori CHRISTI iam glorificato, & illi sacramento, esto cuiuslibet prudentis iudicium. Glossator Decretorum, homo alioquin pinguioris intellectus, tantam absurditatem non potuit non videre, vnde inquit ista esse accipienda admodum caute, & dextere, quod ni fiat incides inquit in errorem maiorem, quam is fuerit, quo laborauit Berengarius. Vidit enim non conuenire, vt corpus Christi sensualiter dicatur attrectari in sacramento, aut frangi, aut dentibus atteri. Et magister sententiarū in 4. vult mederi huic plagæ, & inquit, ista tribuenda esse nō corpori Christi, sed symbolis, quæ ipsi ponunt esse accidentia. Et ita statuit in ista locutione tropum, quo attribuatur rei, id quod est symbolorum, quo tropo si nos vtamur, & quidem tempestiuè, interpretando patrum dicta, dum ad populum magnificè loquebantur

Palinodia Berengarij

Glossaror Decretorū

Magister sententiar. defendit palinodiā per tropū.

tur de hoc ſacramento, exclamant aduerſarij, nos corrumpere, & vitiare, ac falſare illorum ſcripta, cum tamen hic ipſi ad eaſdem confugiant anchoras, tropumq; volunt, vbi minus eſſe debuerat, nimirum in explanãdo dogmate, & palinodia formanda, quæ debuit eſſe omnium clariſsima. Itaque non moramur hoc concilium, cum ibi tam craſsè actũ fuerit. Opponunt etiam ſynodũ Cõſtantienſem, vbi fuit damnatus Vuicleffus, & combuſti Ioannes Hus, ac Hieronymus de Praga, ob varios articulos, ſed præſertim eò quòd ſenſerint contra tranſſubſtantiationem, quæ ibi pleno decreto fuit conſtituta. Hoc verò concilium non poſſumus non appellare perfidum, cum illos duos viros occidi curauerit, qui eò venerant ſub fide publica. Quod etiam Imperator grauiter tulit, nam is fidem ſuam interpoſuerat, alioquin Bohẽmi nunquam illos viros ad id conſilium ire ſiuiſſent. Quódque ibi conſtituerint de tranſſubſtantiatione argumento eſt, eam eſſe recentem ſententiam. Neque valet

Ad cõciliũ Conſtantienſe.

Cõcilium Cõſtantiẽſe perfidũ & crudele.

Sententia de trãſſubſtantiatione recens.

quod multi dicunt, eam ibi fuisse confirmatam decreto, non autem primum constitutam, quia sub Nicolao Pontifice Romano in Synodo Vercellensi atque Romana, satis apertè fuerat declarata. Concedimus quippe istam sententiam ante concilium Constantiense vtcunque erupisse, atque fuisse obtrusam, sed quia nõ plene recipiebatur, atq; multas passim habuit contradictiones, ideò iudicarunt necessarium eam rursus constabilire, & quidem tyrannicè, nimirum igne & diris cõminationibus. Cæterum concilio huic vbijcimis generale & Oecumenicum concilium Florentiæ habitum, sub Eugenio quarto Põtifice Romano qui ibi interfuit, et aderat vnà Imperator Græcorum, cũ patriarcha Constantinopolitano, & multis Episcopis Orientalibus. In quo concilio Græca Latinæ est coniuncta, & consenserunt in dissidio de Spiritu sancto. Atque in gestis illius concilij videre licet, posteaquam inter Orientales & Latinos conuenisset de quibusdam articulis, voluisse Papam vlte-

Cõcilium Florentinum.

rius

rius progredi, & illos adigere ad transubstã
tiationem tractandam, & recipiendam vt
Latini sentiebant. Ibi Græci reluctati sunt,
& de ea re agere noluerunt, neq; perpelli ul
lis argumentis potuerunt, ut de ea consensus
iniretur. Cunq; vnionis literæ essent forman
dæ & publicandæ, prorsus cauerunt, vt hu
ius rei nulla mentio fieret, quod & obserua
tum est, vt patet in Bulla Eugenij, quæ in
cipit, Exultent cœli, et lætetur terra, In qua
gratulatur orbi Christiano hanc fælicitatẽ,
quod ecclesia Græca atq; Latina rursus coie
rint. Vnde si tanti momenti fuisset ista tran
substantiatio, ecclesia Romana, nunquam
cum Græca voluisset coniungi, quæ eam nõ
susceperit. Nam hæresim hodie dicunt esse et
pestiferam, illam non admittere. Non autem
credendũ est Latinam ecclesiam tum volui
sse cum hæreticis se coniungere, atq; cum il-
lis communicare. Et hinc etiam soluitur ar- 11 p. 43.
gumentum, quod afferebant de vniuersali
consensu ecclesiæ, non enim est verum quod
assumunt, omnes ecclesias in istud conspi-

rasse: nam illa vetusta, quæ fuit patrum tempore (vt ostendimus) nequaquam sibi talia confinxit. Item orientalis & Græca eccle-

Ad argumétum de diuina potentia. p. 49

sia non perinde sensit, atq; nos. Adijciunt præterea suis argumentationibus, maxima encomia diuinæ potentiæ, vt homines inducant ad credendum tantum miraculum. Sed est argumentatio debilissima, quod fuerat ostendendũ, nunquam verè demonstrarunt, videlicet hoc Deum voluisse facere, & hoc

Videsimile de Nicodemo.

sacras literas nobis promittere. Quod enim adducunt, Hoc est corpus meum, controuersum est, & potest habere alium sensum: Vnde argumentatio redditur infirma. Et quodam typo ostendemus eius debilitatem: Do-

Lamies §.

minus dicebat Nicodemo, neminem posse ingredi regnum cœlorum, nisi renasceretur. Is cepit interrogare, Quomodo potest homo adultæ ætatis, & alioquin senex iteratò ingredi in ventrem matris? potuisset ei dici, Iam Christus asseruit ita futurum, quid tu dubitas de potentia Dei, qua omnia creata sunt? per illam indubitatò poteris denuò ex

ventre

ventre matris nasci. Verum non ita est actum, sed Christus declarauit totum hoc futurum esse per regenerationē spiritualē. Nam etsi aquæ mentionem fecit, quæ ad baptismū pertineret, attamen spiritu renascendū esse apertissime docuit. Ita uidemus hoc loco accidere. Præcipit Christus ut māducemus carnem suam, & accipiendo panē, inquit: Hoc est corpus meū. Transubstantiatores dicunt, Non potest fieri, ut sit corpus domini una cū pane, unde oportet, ut eius natura transubstantietur in corpus Christi, et potentia Dei volunt hoc persuadere. Sed interim obijciunt, nos hoc soli non facimus, quia Chrysostomus, Ambrosius, et Cyrillus, cum disputatur de hac mutatione, ablegant nos ad potentiam Dei, & illam miris laudibus celebrant. At respondemus patres recte loqui. Nam procul dubio ad potentiam Dei pertinet panem & vinum mutare ut sacramenta sint, quæ ante non erant, neq; id est opus naturæ, ut tā potēter et efficaciter significēt, offerāt, et exhibeant corpus et sanguinē do

Cur patres cū de hoc sacramento loquuntur, prædicent Dei potentiam.

mini, apprehendenda animis nostris, & fide. Quare spiritus sanctus hic se admiscet, ac multum valet institutum domini, & uerba diuino afflatu prolata, et nunc repetita, multum conferunt. His adde mutationem siue conuersionem nostram in Christum, dum communicamus haberi, quæ omnia uim naturæ superant. Nunc autem, cum potentia Domini super naturalis requiri possit ad omnia ista, ipsi applicant eam ad transubstantiationem. Atq; est, veluti si argumentaremur ab vniuersaliori ad particularius affirmatiuè, quod minime licet. Addas quod in baptismo requiritur eadem potentia, quandoquidem non est opus naturæ, vt aqua fiat Titum 3. *lauacrum regenerationis. Sed hic nonnulli parum æquo animo patiuntur, quod sic baptismus conferatur Eucharistiæ, nam etsi negare nequeunt in baptismo quoq; adesse Christum & nobis dari, nam scribitur: Quotquot baptizati estis, Christum induistis, attamen inquiunt, melius & excellentiori modo, Christus est in Eucharistia quàm sit in baptismo,*

baptismo, ideo transubstantiatur panis, & non est necessarium ut aqua transubstantietur. Quibus respondemus, non multum esse laborandum in vtro sacramentorum Christus præstantius sit, modo utrobiq; esse concedatur, et sicuti in vno potest esse, salua elementorum substantia, ita in altero. Quod si omnio contendere velis, de eorũ dignitate, rationibus nõ in efficacibus, baptismi excellentia poterit demonstari; quandoquidem plus est generari, quam nutriri, deinde baptismus multis miraculis fuit illustratus, cœli aperti sunt, uox Patris audita, & Spiritus sanctus in columbæ specie uisus, quæ in Eucharistiæ institutione minime contigerunt. Et hæc non dicimus ad sacramenti huius detectionem, est enim dignissimum & honore maxime suspiciendũ, sed ideo proferuntur, ut respondeamus inductæ obiectioni de potentia Dei. Atq; iam supra ostendimus ex Augustino de trinitate lib. 3. cap. 10. Non esse ponenda miracula tam ingentia, ut isti afferunt. Quod idem patet, si recenseas carmi-

Vtrum sacramentũ dignius baptismus, an Eucharistia.

Matth. 3.

Patres tacuerunt miraculũ trã substãtiationis,

na Gregorij Nazianzeni, quibus est complexus omnia Christi miracula, neq; istorũ fecit ullam mentionem, quæ tamen, si eis credimus, summa sunt, & incomparabilia. Augustinus item dum mirabilia sanctæ scripturæ complectitur, quodã suo, ut inscribitur, libro miraculorum, transubstantiationis nõ meminit. Quare liquet non esse inducendum argumentum pro hac opinione à potentia Dei, quam nos minime negamus, imo etiam in hoc sacramẽto, illa opus esse cõtendimus.

p. 49 13

Obijciebant proxime suam sententiam fuisse confirmatam multis prodigijs, & miraculis, quæ leguntur apud Cyprianũ, in vita Gregorij, & apud complures alios scriptores. Dicimus ad hæc, miracula potuisse fieri circa Eucharistiam trifariam, vel ad arcendos facinorosos homines, et indignos à tanto sacramento, et hoc genus miraculorum amplectimur. Scribit enim Apostolus inter Corint. multos imbecilles fuisse, et infirmos, atque dormiuisse multos, eò quod indigne communicarent, & ad hunc ordinem ea puto redi-

Miracula ædita circa eucharistiam.

1 Corinth: 11

redigenda, de quibus scribit Cyprianus. Aliud genus miraculorum est quandoq; inductum, ad hoc sacramentum illustrandum, ut eius dignitas & magnitudo explicaretur, quæ etiam non respuimus, nam scimus & baptismum sæpenumero fuisse multis miraculis ornatum. Tertium genus esse potest ad confirmandam istam sententiam, siue potius errorem de transubstantiatione. Et hoc pacto nobis aduersarij ista opponunt. Caterũ huius generis miracula, prorsus reijciẽda sũt. Atq; de hoc admonemur pẽr legẽ, ut quoties propheta ad idololatriam et superstitiones conatur inducere, etiãsi miraculis fidẽ faciat, ei non est credendũ, imò voluit dominus, ut lapidaretur. Scimus ad hæc, Antichristum venturum esse, & signis & prodigijs illustrem. Nec ignoramus tempore Mosis, astitisse Magos coram Pharaone, qui miracula ediderint aduersus Dei verbum. Et apud Irenæũ lib. 1. legimus de quodã Marco impostore atq; hæretico, qui in hoc Eucharistiæ sacramẽto mirifice illudebat simplicib.

Nam vini colorem immutabat, vt prorsus appareret cruor, & parum vini sic excrescebat eius præstigijs, vt totum poculum impleretur, ac redundaret. Cũq; afferretur denuò calix amplior & capacior, is quoque sine adiectione liquoris ad summum vsque implebatur. Quis diceret ex istis miraculis comprobatam fuisse illius hæresim? Si Ethnicos accedamus legimus fluxisse per terram riuos sanguinis, pollicem Iouis emisisse sanguinem. Liuius narrat Romæ pluisse carnes: Q. Curtius, Tyri, cùm obsideretur ab Alexandro Magno, panem exudasse publice sanguinem. Et Apollonius Thyanæus, dicitur, cũ esset in concilio, coram Domitiano imperatore, statim euanuisse, vt amplius non inueniretur. Et infinita sunt, quæ ethnici possent afferre, ad suum cultum Idolorum confirmãdum. Ideo hæc miracula, quæ isti dicunt facere ad roborandam superstitionem transubstantiationis, omnino reijcimus. Neq; est magnifaciendum, quod huc inducunt, De miraculo edito à Gregorio pontifice Romano:

Miracula apud Ethnicos.

scribitur

ſcribitur enim in vita eius, panem Domini, ſiue dixeris, Euchariſtiæ ſacramentum, conuerſum fuiſſe in digitum carneum: Quod ſi factum fuit, ob duas cauſas, quas ipſi recipimus, non eſt multum contendendum. Tamet ſi illa Gregorij vita non multum habeat ponderis. Nam ſi Vincentio credimus, deſcripta fuit inde ab eius morte, poſt centum annos à Ioanne Romano Diacono, & ad quendam Imperatorem Germanum miſſa. Sed fac ità fuiſſe. Dum aduerſarij volunt inde concludere per indicium digiti carnei, latitare ſub accidentibus corporaliter carnem Chriſti: Poſſet quiſpiam ex hoc miraculorum genere cõcludere, ſub ſpeciebus ſacramentalibus contineri cineres & carbones, quia in iſtà ſemel conuerſus eſt ſacer panis, tempore Cypriani, vt ipſe ſcribit. Credo etiam non eſſe ignotas nebulonum impoſturas, quibus vſi ſunt ſæpius adcõfingẽda miracula. Alio argumento plurimum obtrudebant, corporis glorificati, quod poſt reſurrectionem ſpirituale appellatur, dignitatem, quam nos minimè

Vita Gregorij Romani Pontificis.

14. De corpore glorificato. p. 50

inficiamur. Admonemus tamen eius quod Aug. habet in epist. ad Consentiũ huiusmodi corpus, non ita esse spirituale, vt transeat in naturã spiritus. Nã Paulus, et corpus quoddam appellat animale, quod non sic est intelligendum, quasi corpus transeat in naturam animi. Et rursus idem 13. de ciuit. Dei, ca. 20. scribit. Animus quandoq; dum obsequitur carni, appellatur carnalis, non quod transeat in naturam carnis, ita & corpus dicitur spirituale, non propterea quod abeat in naturam spiritus, sed quia spiritui prorsus erit subiectum, ad eius implendam voluntatem. Et Hyeronymus in epistola ad Pammachium, quæ apologia fuit contra Ioannem Epis. Hierosolymitanum, qui surgentium animis corpus attribuebat æthereum, siue aëreum, quod ne tactui nec uisui subiaceret, omnib. modis contendit, Christum habuisse post resurrectionem verissimum corpus, & illud quidem visibile. Et occurrit obiectioni: Si ita fuit visibile, & idem corpus, quare non agnoscebatur, quando instar peregrini se de-

Luce 24.

mon-

monſtrabat? Reſpondet, quia oculi eorum tenebantur, ne illum agnoſcerent, ac ſi diceret, quod attinet ad naturam corporis, & viſibile fuit, & cognoſci poterat, ſed in oculis impedimentum fuit, qui detinebantur. Cum itaque Chriſtus verum corpus habuerit poſt reſurrectionem ſuis dimenſionibus & ſpacijs conſtrictum, non eſt quòd velimus exuere ipſum iſtis proprietatibus, et cõ ijcere in anguſtias minimi fragmenti panis, quaſi in eo totum quantum quantum eſt, cõtineatur. Verum, ſi etiam iſtud per Dei potẽtiam fieri poſſe detur, num illico poterit concludi factum eſſe? Infirmum eſt argumentũ, vt antea docuimus. Ratiocinabantur & à 15 p. 50
græco articulo, cũ Chriſtus dixit, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, quaſi articulus vim habeat propoſitionem contrahendi ad proprium ſenſum, & tropicum non permittat. Decipiuntur iſti, non enim ſemper ea eſt vis articuli græci, quod clarè patet ex capite octauo. Euangelij Lucæ, vbi CHRISTVS explanat, cap. 8.
quã propoſuerat parabolam, de ſeminãte ſe-

men, & inquit ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *vbi vides ad verbum Dei, græcè adiectum esse articulum. Nec tamen effecit ista locutio vt verbum Dei teneatur, quasi proprièe, realiter, et corporaliter insit illi semini, quod iactatur ĩ agris, de quo parabola iã ab initio proposita fuerat. Declaratur aũt in eo contineri vi, & proprietate significationis, quo pacto, et nos accipimus in verbis Domini, cũ inquit, Hoc est corpus meum. Corpus enim Domini, de pane dicimus nõ prædicari, nisi per significationem.* Argumentum erat præterea, de promissione Christi, cũ dixerat: *Ero vobiscũ usq; ad cõsummationem sæculi, quæ nostræ sententiæ minimè obstat. Confitemur enim Christũ nobis adesse per naturam diuinam, item per gratiam, & multa dona, quæ nobis affert spiritus eius. Deinde si sanguinem & carnem illius cupimus, ea possumus complecti in hoc sacramento, fide, & spiritualiter manducare, ad quod postea consequitur, verissima, arcana tamen & ineffabilis nostra coniunctio cũ Christo, quando in il-*

16 Christus adest nobis usque ad consumationem sæculi. p. 50 Mat. 28.

in illum mutamur. Deinde ponebatur, si res ita habeat, consequetur, nostra sacramenta nil plus habere, quàm sacramenta veteris legis, cum in illis quoque significaretur Christus, imò fortè si respiciamus naturam symbolorum, illic plenius res adumbrabatur, quam in nostris sacramentis, quæ prorsus incruenta sunt. At in antiquorum victimis, cædes apertè videbatur, et sanguis ibi fusus clarius mortem Domini figurabat, atq; ob oculos ponebat quàm noster panis aut vinũ faciant. Respondemus, quod ad rem attinet, nostra sacramenta, eadem sunt cũ veteribus idem vtrobiq; datur, tametsi varia sunt signa. Et hoc Paulus attestatus est in hac epi. ad Cor. Habent nihilominus nostra sacramenta multas prærogatiuas præ veteribus. Sunt enim firma, et non amplius mutanda, vsq; ad finem sæculi, neq; ostendunt rem faciendã, sed factam. Sunt simpliciora, et pertinent ad ampliorem, numerosiorémque populum. Cúmque sint clariora, maiorem fidem excitant, & inde sequitur vberior co- 17 p. 50

Discrimen nostrorum sacramentorum & ueterum.

pia ſpiritus. Quod clariora ſint, non proue-
nit, vt aduerſarij ſibi fingunt, ex externa
ſymbolorum præfiguratione euidentiori, ſed
ex natura verborum, quæ ibi proferuntur.
Etenim annunciatur noſtra redemptio per-
fecta, illuſtrioribus, & clarioribus verbis,
quàm vulgus apud veteres intellexerit.
Quod ſi clarius res exponitur verbis,
non eſt attendenda externa repræſentatio.
18 Mirabantur ad hæc qui fieri poſſit vt eccle-
ſia tam diu fuerit in errore, & quidem non
An eccleſia diu reiecta ſit à Deo in errore. leui, ſi ita ſit, vt dicimus. Quod tamen non
mirarentur, ſi cogitarent quæ Chriſtus di-
p. 51. xit de ſuo poſtremo aduentu: Putas ne cum
venerit filius hominis, fidem inueniet ſuper
Mat. 24. terram? Et tantus oſtenditur futurus er-
ror, vt ſi fieri poſſit, etiam electi ſeducan-
tur. In primo aduentu ſuo, dicant nobis iſti
obſecro, qualem inuenit Chriſtus eccleſi-
am? Nonne iam ſcribæ, & phariſæi, ſacer-
dotes, atque pontifices omnia corruperant?
& vitiauerant ſuis traditionibus? Neque
exiſtimanda eſt tamen eccleſia prorſus in er-

rore

rore deserta, etenim semper extiterunt multi boni, quibus hæc displicuerũt, quiq; ijs reclamarunt. Vtq; in primo aduentu fuerunt, Symeon, Anna vidua, Ioseph et Maria virgo, Elizabeth, atq; Ioannes baptista, qui pij fuerunt, et optimè sentiebant, & non poterat dici ecclesia prorsus deserta, ita & postremis his temporibus factum est. Non enim vniuersa ecclesia his traditionibus humanis est fermentata.

Aiunt etiam, quod attinet ad significatio 19 p. 51.
nem, istud idem posse præstari per panem & vinum in conuiuijs, idcirco nõ esse, quod Eucharistiam tantopere suspiciamus. Sed argumentum est infirmißimũ, quandoquidem in communibus cibis non est Domini institutũ, non sacramentum, non audiuntur verba Domini, neq; vlla est ibi promißio, ideo nõ sunt hæc inter se conferenda. Postremo loco inducebatur argumentum à ui et efficacia verbi Dei, quod ab Ambrosio, ut[citat Alg. 1. li. c. 7. appellatur operatoriũ, vtpote per quòd panis et uinũ quæ manent eadem, cõmutẽtur

in aliud. Quod attinet ad Ambrosij verba, ea libenter acceptamus. Nam & ipsi ponimus panem & vinum eadem manere, non quidem (vt transsubstantiatores dicunt) quoad accidentia, siue species, ita vt mutatio fiat abiecta substantia, sed quod naturas proprias conseruari asserimus, mutationem verò tantum fieri per gratiam sacramentalem. Et efficaciæ verborum Domini haudquaquam derogamus, non tamen ipsis quasi alicui excantationi deferendum putamus, vt quocunq; modo, & quocunq; loco, à sacrifico proferantur super pane & vino, animo consecrandi, effectum consequantur. Totum enim pendet ab instituto Domini, et spiritus sancti actione. De Algerio non multum est curandum, nam fuit post Berengarij tempora, et eius palinodiæ meminit in suo scripto. Deinde quanti fuerit iudicij, ex quodam eius argumento patet, nam vigesimo primo capite primi libri, volens probare tãpios quàm impios, accipere corpus Christi in sacramento, quod sanè sequitur ad transf-

Verbis Domini est differendum sed non ut fiant instar excãtationis.

Algerius monachus non magni iudicij.

transubstantiationē. Accipe simile inquit, de verbo externo, id est, de sermone qui fit personū, Ad quoscunq; peruenit eiusmodi sermo, continet & habet secum suum proprium sensum. Sed si peruenit ad intelligentes, ipsi cum vtilitate audiunt, percipiunt enim quæ dicunt. Sin vero peruenerit ad ineruditos & ignaros, non minus sensum proprium secum portat, sed sine vtilitate audientis, quia ipse nō intelligit. Iste sumit in argumento verba portare secum sensum, neque animaduertit, sensum non includi, aut inuolui, sicut aiunt realiter in sono aut characterib. literarum, sed tantum per significationem. Quod idem, si ei dicatur de pane & vino in sacramentis, quod per significationem offerant corpus Christi, conuincetur suo simili. Ex quo etiam probatur impios non percipere corpus domini, sicut imperiti, atque ignari, quando sermones Græcos, aut latinos audiunt, eorum sensa non capiunt. Vnde nihil magis pro nobis dici potuit. Asserit idem author in primo cap. 2. libri, nequaquam ac

cidentia in hoc ſacramento, ſecundum veritatem, putredinẽ, aut mucorem admittere, ſed tantum ita nobis uideri, quod neq; ſcholaſtici dixiſſent. Quid enim hoc aliud eſt quã ſtatuere perpetuã ſenſus illuſionẽ? Ita de eo nõ eſt multũ curandũ, tametſi trã ſubſtantiationẽ ſuã omnibus modis conetur aſtruere.

Huiuſq; de prima opinione. Cur de illa fuſius actum ſit.

Egimus iam de prima opinione, & quidem fuſe. Nam ea ſubmota, complures tollũtur ſuperſtitiones. De alijs duabus non tam multis diſſeremus, quia utra earũ ponatur, non uſq; adeo moramur, modo ſane intelligatur. Tantum nunc dicemus de illis, quoad liceat uidere, quid in utraq; iudicemus euitandum, & quid aſſumendum. Fuerunt itaq; nonnulli qui ſubſtantiam panis & uini retinuerunt, corpus autem & ſanguinem domini, Symbolis iſtis in ſua natura adhuc manentibus, corpus et ſanguinem domini coniunxerunt, nexu quã arctiſſimo, non tamẽ (ut arbitror) ita, ut ex illis coniunctis, una hypoſtaſis efficeretur. Realiter tamen (quemadmodum loquuntur) corporaliter, & naturaliter,

ualiter, dixerunt adesse pani et uino corpus & sanguinẽ Christi. Alij uero coniunxerũt solũmodo per significationẽ. Prior sententia Luth. atribuitur, altera Zuing. tametsi ego audiuerim à fide dignis, Luth. nõ tã crasse re uera ista de re sensisse Zuing. etiã nõ adeo de sacramẽtis tenuiter credidit. Et aiunt Luth. ad hyperbolas et ad sermones, ueritatem utcunq; superantes deflexisse, quòd existimaue rit Zuinglium, & alios uelle statuere sacra menta nuda & uana signa, cum tamen Zu inglius id nõ moliretur. Sed is quoq; ueritus est ne Lutherus ea poneret, quæ & ueritati naturæ humanæ detraherent, et corpus Chri sti impanarent, unde magis adhuc nutriretur superstitio, et ideo ten uius usus est sacra mẽto huic deferre, atq; ita exarsit contẽtio, plusquã oportuit, fuitq; causa magnorũ ma lorũ, cũ tamẽ reuera cõtentio esset uerborũ potius, quam rei. Nos itaq; tractationẽ ha rũ duarũ opinionũ remouebimus à personis, nõ. n. asserimus uel Zuing. uel Luth. sic opi natos esse, sed tantum sententias examinabi mus quales circumferuntur.

De contentione Lutheri & Zuinglij.

Duæ reliquæ opiniones tractantur remotis personis.

Quo se magis explicent qui Christi corpus tã crasse coniungunt symbolis, duo simmilia adducere solent. Primum est, si cantharum habeas plenum vino atq; pronunciaue nis: Hoc est vinum, nihil mentieris: quandoquidem ipsum vinum in cantharo contentũ ostendis, Identidem fiet, si ferrum candens acceperis, & igne demonstrato dixeris: hoc est ignis: ibi nil falsi aut absurdi abs te dicetur. Sic isti aiunt esse intelligendum, quòd ait Dominus, Hoc est corpus meum, & manifeste tropum synecdoches admittunt. Nam cum demonstrent subiectum compositum, non est propositio vera, nisi quoad rei demõstratæ alteram partem. Sciendum tamen, ista similia nõ accipi ab ijs, quasi opinentur, ut omnibus modis cum re conueniant: quia contendunt non localiter adesse Christi corpus, sed tantum diffinitiuè, quod tunc esse intelligunt, quando aliquid mensuris loci non circumscribitur, sed tamen ibi esse dicitur, quia eius natura aut essentia tum illi loco deputatur, aut in eo operatur, quod vino existente

Duo similia.

ſtente in cantharo minime conuenit, etenim ibi habet ſuum locum quo circumſcribitur. Adhæc iſti non dicerent corpus Chriſti ita eſſe in pane, ut ab eius qualitatibus uel accidentibus denominetur, Non enim vere appellari poteſt album, rotundum, piſtum aut coctum, quod tamen uidemus contingere igni qui admiſcetur ferro candenti. Nam figuram ferri, longitudinem, & latitudinem, atque profunditatem ita ſequitur, vt ab eiuſmodi figuris atq; formis denominari poßit. Vnde aperte conſtat, hæc ſimilia in hac ſententia non accipi ab iſtis, quoad omnes partes, ſed tantum, vt vera, atq; realis coniunctio ſacramenti & rei demonſtretur, quæ cum data fuerit, conſequitur tam pios quam impios percipere corpus Chriſti. Primum, videlicet iſtam coniunctionem realem, putant ſatis probatam, ex domini verbis. Alterum vero, nimirum quòd etiam impijs detur corpus Chriſti, vident neceſſario conſequi, ſed iã oſtendimus oppoſitũ, ſcilicet hæc verba Chriſti nõ adigere nos ad hunc ſenſum

Apud iſtos impij ſumunt uere Corpus Chriſti.

necessario: & efficacibus rationibus probatum est, impios tantum sumere externa elementa. Solent isti etiam argumentari, si tropice accipiantur verba scripturæ tum facile fieri potest, vt multa præcepta subuertãtur, potuisset enim Abrahamus de circumcisione dicere, quando præcipiebatur. Sermo est figuratus, atque huic mandato satisfaciam, si cor meum circumcidero, et cupiditates ac vitia carnis resecuero, Item cum delectus ciborum mandabatur, dixissent Israelitæ, executionem illius præcepti, posse constare morali obseruatione, si ea peccata non perpetrarent, quæ immundis illis animantibus designabantur, atque ita, nec circuncisio, neque ciborum delectus locũm habuisset. At infirmam esse hanc rationem inde potest probari, quod ex ipsa litera, ac textu, euincitur illum non esse tropicum sermonẽ. Quod enim attinet ad circuncisionem, dies octauus determinatur à pueri ortu, & additur fœdus domini in ipsa carne fuisse gestandum, ex quibus liquet veram circumcisionem præcipi.

Num tropi officiant mandatis Dei.

Atq

Aq; indelectu ciborum, tam diserte conditi ones animantium mundorum & immundo rum describuntur, & quoad præuaricantes purificatio instituitur, ut non sit relictus am bigendi locus. Habemus etiam Augustini re gulam de doctrina Christiana, qua ostendit, nisi iubeatur flagitium, aut bonum aliquod opus prohibeatur, orationem sumendam es se absque tropo, quæ regula si adhibeatur ciborũ delectui, atque circumcisioni, ostendet verba Dei simpliciter intelligenda. Dicunt adhæc, in prophetis & historijs tropos faci le admitti, eo quod in his agat spiritus san ctus more hominum, & eorum familiaribus locutionibus se accommodet, vt vehementius, & magis exprimat, quæ sunt dicenda, sed in dogmatis atque præceptis non ita censendum est, omnia simpliciter, inquiunt, sumi debent. Quæ eorum sententia non est firma, aut uniuersalis, nã quoad præcepta Dominus inquit. Cauete à fermento phariſæ orũ, ubi apertissime tropo utitur, atq; tali ut ibi Apost. hallucinati fuerint. Præcipiebat

Augustini præceptũ. 2

An indogmatis & præceptis Dei sint tropi.

deinde capite septimo Matthæi, ut sibi cauerent à falsis Prophetis, quoniam inquit, Ad uos venient in uestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces: in quo præcepto quis non animaduertat figuratam locutionem? Et in dogmatibus tradendis, nõ est dubium, figuras, & tropos adhibitos, inquit Paulus in nouo Testamento, Petra erat CHRISTVS: Nos sumus unus panis: & de Deo 3 scribitur, quod sit ignis comburens. Contendunt postea corpus Christi posse ubiq; esse, atq; id ex verbis CHRISTI ad Nicodemum tertio capite Iohannis, ubi dicitur: Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, Ecce aiunt filius hominis, id est Christus, quoad naturam humanam, cum illis loquebatur, atque etiam in cœlo erat, quia non potest humana natura à diuina reuelli, ergo quod asseritur de una, & de altera dicendum est. Sed respondetur nos minime uelle diuidere duas istas naturas à se inuicem; non tamen propterea sequitur, quod uni conuenit, alteri quoque

An corpus Christi sit ubiq;.

que dandum esse. Hoc sanè concedemus, diuinitatem Christi vbique esse, corpori tamen eius & humanitati non dabimus, atque hoc quã apertissimè docuit Augustinus ad Dardanum. Et quod adfertur ex 3. capite Ioannis idem Augustinus interpretatur secundum naturam diuinam intelligendum esse, quod filius hominis in cœlo fuerit. Neq; aliter sensit Chrysostomus, cum hunc locũ exponit. Nam asserit, esse in cœlo non attribui filio hominis, nisi secundum naturam potiorem. Quin verò infirma sit argumentatio duæ istæ naturæ coniunctæ sunt, igitur quod vni conceditur, alteri quoque debet attribui, potest similibus demonstrari. Corpus solare, & eius lux, habent inter se naturalem & summam coniunctionem, non tamen ad quæcunque loca extendit se lux, ad ea corpus realiter pertingit. Item corpus oculi nostri, & visus, inter se admodum coniuncta sunt, & tamen pertingit noster visus ad multa, ad quæ corporis oculus non se extendit. Argumentantur postea corporis 4

Christi multa debere concedi, præter communem cursum & conditiones aliorum corporum. Atque hoc duplici causa partim, quia glorificatum est, partim qua verbum habet adiunctum. Nos fatemur plurima danda esse, sed hoc vt sit vbique, non ei conuenire potest, salua humani corporis natura, & si hoc ei concederemus, non esset illud nobilitare, sed prorsus exitium ei afferre, nam tũc à sua natura extruderetur. Deinde hoc, negotio isti non multum conducit, quia etsi daremus corpus Christi hoc habere, quod possit in multis locis esse, non tamen inde sequeretur, Deum velle in hoc sacramento
5 sic agere. Annituntur deinde probare istam corporalem præsentiam à similitudine docentis, qui cum sua verba possit ad multos auditores extendere, in eis communicat eisdem ipsis auditoribus suum animi conceptum, ita vt illum omnes ex æquo plenissimè percipiant, Sic inquiunt, agit Dominus, in verbis quæ proferuntur ad sacramentum, corpus suum illis inuoluit vt eis proferatur, ad

omnia

omnia ista symbola, & percipientibus quibusuis communicetur. Quod itaque conceditur præceptori, & quidem terreno, cur nõ dabitur Christo? verum collatio est admodum diuersa, atque vt dicebamus antea, verba non deferunt res, aut concœptus animi, nisi ratione significationis. Quodque po- 6
stea conantur astruere, corpus Christi, vbique esse, ex primo capite epistolæ ad Ephesios, vbi dicitur, Christus datus caput corporis ecclesiæ, quæ est vt græcè scribitur, πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου nihil est. Non enim significatur corpus Christi implere omnia, & esse vbique, sicut isti inferunt. Sed quia significatio illius verbi, siue participij πληρουμένου ambigua est, nam & Locus ad
actiuè et passiuè teneri potest, cum sit medium verbum, si passiuè intellexeris, secundum græca scholia, iste erit sensus, quod CHRISTVS caput ecclesiæ in omnibus suis membris, quoad omnia impletur, non quòd in seipso perficiatur, satis enim & perfectus et fœlix est, sed quoad corpus

& membra, id est intelligendum. Nam vt caput illi confertur, ita & ecclesia intelligitur plenitudo Christi, quod uidelicet eius corpus mysticum impleat & perficiat. Sin verò actiua sit eius significatio, tum dicetur Christus caput esse, eò quòd omnia dona & virtutes ipse in omnibus membris suis perficiat. Neq; est sensus, eum qua homo est, vbique esse. Et putatur ex scripturis hoc posse conuinci, nam apertè fatetur Christus Lazarum esse mortuum, quando ibi non erat. Quod si contenderit, illum tunc nõ habuisse corpus glorificatum, non multum ad rem facit, quia habuit nihilominus coniunctam diuinitatem, sed vt tollatur scrupus, etiã post resurrectionem, dixit Angelus mulieribus: Surrexit, non est hîc, & rursus, præcedet vos in Galilæam, atque iterum sublatus est ex oculis eorum, cum in cœlum ascenderet. Non itaque omnia implet, aut vbique est.

Christ⁹ ut homo non est ubique.

7 Solent citare & locum ad Ephesios. 4. Qui descendit, idem ille est, qui ascendit, etiam super omnes cœlos, vt impleret omnia. Qui tamen

tamen locus nil probat, & dupliciter exponitur. Primo vt implere omnia referatur ad illa quæ de Christo vaticinata & scripta erant. Vnde statim supra citauit scripturam, ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et si ad loca volueris referre, hoc intelligas de generibus locorum, non de vnoquoq; singulariter, iuxta illud, Dominꝰ vult oēs homines saluos fieri, ita dicemus Christū quandoq; media, quandoque suprema, interdum verò infima occupasse, vt in Sepulchro. Aiunt transsubstantiatores hoc ad se non pertinere, eo quod minimè dicāt corpus Christi vbique esse, sed tantum vbi sacramentum habetur. Imò aduersatur eis, nam si (vt sentiunt) non repugnat corpori Christi esse eodem tempore, & simul, in viginti, aut quinquaginta locis non repugnabit esse in centum, aut in mille & demum in omnibus, & ita constituent Christi corpus infinitum esse. Nec est quod calūnieris argumentandi formam, quoniam illa eadem vsus est Hierony. aduersus Ioan.

Si Christi corpus potest simul esse in multis locis, potest esse ubiq; quod etiam Stoici uidit.

Epiſc. Hieroſolymitanum, vbi vult probare corpora noſtra poſt reſurrectionem, abſq; cibo manere poſſe, Nam inquit, potuit Helias, & Moſes, abſq; cibo manere Dei virtute per quadraginta dies, ergo poterit homo & pluribus diuina virtute ſuſtentari, & ſi pluribus, conſequitur quod ſemper, modo velit Deus, ſed ut redeamus ad noſtros. Hi quia vident ad iſtam coniunctionem tã intimam conſequi, vt ſacramentum poßit adorari, nam ſi ibi realiter et corporaliter Dominus contineatur, quis illum non adoret? Docent liberum eſſe, vt id facias, & non facias. Inquiunt enim, etſi ibi ſit, nõ tamen eſt in eum finem, vt adoretur, ſi accipias & manduces ſatis eſt, ſi etiam adoraueris, non erras. Nos verò certius conſtituimus, in adoratione nõ eſſe ad ſymbola conuertendã mentem, ſed ſi quis, dum agitur ſacramenti ritus, de myſterio bene inſtructus, animũ ſuũ cõuerterit ad Chriſtũ in cœlis regnantẽ adorandũ, recte facit, etiã id tenetur facere, vt Chriſtũ adoret, qui ſibi ſeipſum declarat, neq; ibi cõmittitur idolo-

Faciunt iſti liberam adorationẽ

dololatria, quod Paulus docuit in ista epist. ad Corin. quando ait, Si quis ingrediatur cœtum vestrum, si idiota sit, et simplex homo, vosq; audiat oēs simul loquentes linguis, profecto dicet isti insaniunt, neq; ædificabitur.

Sin verò vos audierit prophetantes, & senserit reuelari arcana cordis sui, tunc procidens adorabit Dominum, non adorabit homines ita prophetantes, sed cum Dominus ibi se illi reuelat, ad eum adorandum se conuertet. Rationes, in summa, propter quas minus videtur esse vera, tam crassa existimatio, sunt istæ.

Rationes contra secundam opinionē.

Quod hæc realis & corporalis præsentia nihil adfert vtilitatis, quod ex illa spirituali præsentia non habeamus. Nam Ioan. 6. promisit Dominus edentibus se vitam æternam deinde quòd maneret in eis, et illi in ipso, quid vltra hæc requiritur. 1

Deinde non posset concedi, & nos & ueteres habuisse eadem sacrcmenta, quia realem hanc præsentiam non potuissent antiqui obtinuisse, cum filius Dei nondum susce- 2

pisset humanam carnem. Deinde conseque-retur & pios et impios corpus Christi man ducare.

4 Praterea vltra illam spiritualem mandu cationem, quam habemus in Ioan. cap. 6. a-liam inducunt carnalẽ & corporalem, qua non potest probari, cum ista & illa sint ea-dem, nisi quòd in posteriore adduntur symbo la, ad rem magis confirmandam.

5 Sequitur postremo, quod cum tantũ ver bis tribuant, versantur in eadem dificultate qua & transsubstantiatores, dũ aiunt, Hoc est corpus meum. Non enim se explicare po terunt, vt aperte dicant absq; contradictio-ne, quidnam demonstrent, et quomodo ver ba sint vera, dum proferuntur, si tropũ non admittant:

6 Corpus Christi diffundunt, vt sit simul in multis locis & vbiq;. Neq; valet si dicant, non localiter, quia licet ibi sit, vt Angeli di cuntur esse in loco, non cõuenit id creaturæ, vt probatum est supra per Didymũ, Basili-um, Augustinum ad Dardanũ, et Cyrillum,

qua

quæ loca reperies infra ad finem primæ disputationis.

Verba scripturæ nos minime adigunt ad tã crassam corporalemq; præsentiã, et fides est ex verbo Dei, non itaq; fides illã complecti debet. Patres adhæc secus docent. Nam quale corpus in eucharistia sit Cyprianus in sermone de cœna domini ostendit, cum ait, Qui vsq; hodie hoc veracissimum et sanctissimũ corpus suum creat, & sanctificat, & bene dicit, & piesumentibus diuidit. Proprium corpus Christi, non de nouo creatur, aut sanctificatur, neq; diuiditur. Chrysost. super Matheum ca. 5. homili. 11. in opere imperfecto. Si ergo hæc uasa sanctificata ad priuatos vsus transfere, sic periculosum est, in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur. Et quomodo nobis ad cœlum ascendendũ sit, dum cõmunicamus, si corpore Christi frui volumus, idem exponit super epistola priori ad Corin. ca. 10. homil. 24. Iubet nobis, ut cum concordia & charitate maxima ad se accedamus, & a- 7. 8.

quilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolemus, uel potius supra cœlum, ubi enim cadauer inquit, illic & aquilæ. Cadauer domini corpus propter mortem, nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas aũt appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere. qui ad hoc corpus accedit, et nihil cum terra debere esse cõmune, nec ad inferiora trahi, ac repere. Sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentis q̃ oculum acutissimum habere, aquilarum enim, non graculorum hæc mensa est. Idem q̃ in Mat. 26. ho. 83. Illi ab Aegypto in palestinam erant profecturi ac ideo uiatoris habitum habebant tu de cœlo in terram ascensurus es. Atq̃ in li. 3. de sacerdotio. Etiam ne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? an non potius in cœlum euestigio transfereris? an non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura, circumspicis quæ in cœlo sunt? Aug. ad Bonifacium eodem ordine, & censu habet omnia ista, tempore Paschæ appropinquante.

quante. Hodie vel perendina mortuus est Christus. Die dominico, hodie surrexit Christus. Baptismus est fides, & sacramentū corporis Christi, est corpus Christi. Videmus autem in omnibas enumeratis loquutionibus, rē absentē realiter prædicari de re præsenti. Idem super psalmo. 54. Caput in cœlo erat, & dicebat, quid me persequeris? nos cū illo in cœlo per spē, ipse nobiscū in terra per charitatē. Et in epistola ad Ianuariū. 119. Vnde illi persequtori, quē voce mactauit, & in suū corpus traijciens quodāmodo manducauit, sonuit de cœlo, Saule Saule, quid me persequeris In Iohanē tractatu. 30. et habetur de consecrat. dist. 2. prima quidem. Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas dominus. Corpus enim domini in quo resurexit, vno loco esse oportet, veritas eius vbiq; diffusa est. Item super Ioannem tractatu. 50. nam secundū maiestatē suam, secundū prouidentiam, secundū ineffabilem, & inuisibilē gratiam impletur quod ab eo dictū est, Ecce

Res absē de re præsenti dicitur.

ego vobiscum usq; ad consumationem seculi, secundum carnem vero quam verbum assumpsit, secundum id quod de virgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscũ. Quare, quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiã, quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus, uidendo, non autem sequendo, ascendit in cœlum, & non est hic: ibi enim sedet ad dexterã patris, & hic est, non enim recessit præsentia maiestatis semper habemus Christum. Secundum præsentiã carnis recte dictum est discipulis, me autẽ non semper habebitis. Habuit enim illum ecclesia secundum præsentiam carnis, paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt. Idemq; super epistolam Ioãnis ad finem. Dominus ergo noster Iesus Christus ideo ascendit in cœlum, die quadragesima, cõmendauit corpus suum, qua habebat iacere, quia

vidit

vidit multos honoraturos se, quia ascendit in cœlum, & uidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcant membra eius in terra. Et ne quis erraret, & cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, dixit, ubi essent membra ipsius, Ascensurus enim dixit verba nouissima, post ipsa uerba non est locutus in terra. Ascensurũ caput in cœlum, commendauit membra in terra, et discessit. Iam non inuenis Christum loqui in terra. Inuenis eum loqui, sed in cœlo, et de ipso cœlo, quare? quia membra calcabantur in terra, persequutori enim Paulo dixit desuper, Saule, Saule, qnid me persequeris? Ascendi in cœlum, sed adhuc in terra iaceo. Hic ad dexteram patris sedeo, ibi adhuc esurio, sitio, peregrinus sum: Quomodo ergo corpus commendauit in terra ascensurus? cum interrogarent illum discipuli, Domine si hoc in tempore præsentaberis, & quando regnum Israelis? Respondit iturus, nõ est uestrum tempus scire, quod pater posuit in sua potestate, Sed accipietis uirtutem spiritus sancti super

uenientem in vos, et eritis mihi testes in Hierusalem. Videte qua diffundat corpus suum, videte vbi se calcari non uult. Eritis mihi testes in Hieruſalem, & totam Iudæam & Samariam, vſq; in totam terram. Ecce qua iaceo, qui ascendo, ascendo enim quia caput sum, iacet adhuc corpus meum, qua iacet? per totam terram. Augustino consentit Cyrillius, qui ait super Iohannē libro 6. cap. 14. Hic animaduertendum, quod etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate tamē diuinitatis semper adest, sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur, ecce uobiscum sum omnibus diebus vſq; ad consumationem sæculi. Idemq; libro 9. super Ioannen. 21. Paruo autem tempore vna cum discipulis se fore Christus ait, non quia penitus ab eis recesſurus erat, nobiscum enim est semper vſq; in consumationem sæculi, sed quia non erat cū eis sicut prius conuictaturus, Prope enim iam tempus erat vt etiam in cœlos ad patrem abiret, credere autem oportet fideles, quod licet à nobis corpore absit, uirtute tamen eius omnia,

omnia, & nos gubernari, adesseq; semper ipsum omnibus qui eum diligunt. Propterea dicebat, amen amen dico vobis, ubicunq; sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Nam quemadmodum, quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat, & angelorum consortia nõ relinquebat, eodem nunc modo cum sit in cœlis, cum carne terram nõ replet, & cum eis est qui illum diligunt. Obseruandũ aut est, quia quamuis secundũ carnem solum modo abiturus erat, adest enim semper virtute deitatis, ut diximus, modico tamen tempore cum discipulis se futurum dicebat, aperte seipsum nominãs ne quis in duos filios diuidere Christum audeat. Accedit his Vigilius, qui in 1. li. contra Eutychen scribit, Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis, secundum diuinitatem ait nobis, ecce ego vobiscum sum vsq; ad consumationem sæculi, Et mox Quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit, nec deseruit diuinitate sua, per formam enim serui quam

abstulit à nobis in cœlum, absens est à nobis. Per formam Dei quâ non recedit à nobis, in terris præsens est nobis, tamen & præsens et absens, ipse vnus idemq; est nobis. Item in lib. 4. Si verbi et carnis vna natura est, quo modo cum verbum vbique sit, non vbique inueniatur & caro? nam quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo & nunc quia in cœlo est, non vtique in terra. Et in tantum non est, ut secundũ ipsam carnẽ expectemus Christum de cœlo uenturum, quem secundũ verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos, aut verbum loco cum carne sua continetur, aut caro cum verbo vbique est, quoniã vna natura contrarium quid, aut diuersum, non recipit in seipsa, diuersum aut & longe dissimile, circunscribi loco, & vbique esse. Quia verbum vbique est, caro autẽ eius vbique non est, apparet vnum eundemque Christum utriusque esse naturæ. Et esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ creatum esse & ini-

& initium non habere, morti ſubiacere, et mori non poſſe. Et mox ſubdit, Hæc eſt fides & confeſsio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt. Deinde Fulgentius ad Traſimundum regem libro ſecundo. Vnus idémque homo, localis ex homine, qui eſt Deus immenſus ex patre, vnus idémque ſecundum humanam ſubſtantiam abſens cœlo, cum eſſet in terra, & derelinquens terram, cum aſcendiſſet in cœlum, ſecundum diuinam verò, immenſamq; ſubſtantiam, nec cœlum dimittens cum de cœlo deſcendit, nec terram deſerens, cum in cœlum aſcendit. Quod ipſius Domini poteſt certiſſimo cognoſci ſermone, qui vt localem oſtenderet humanitatem ſuam, dixit diſcipulis ſuis: Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. De Lazaro quoque cum dixiſſet: Lazarus mortuus eſt, adiunxit, dicens: Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam nō eram ibi, immenſitatem verò ſuæ diuinitatis

ostendens discipulis, dicens, ecce ego vobiscū sum omnibus diebus, vsque ad consummationem saeculi. Quomodo ascendit in cœlum, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus? Idemq; lib. 3. Idem atque inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit, id m at que inseparabilis Christus, secundum totum hominem quem accepit, terram localiter de serens, ad cœlum ascendit, et à dextris Dei sedet, secundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum vivos & mortuos, coronaturus fideles & pios. Postremò Bernhardus in cantica canticorum sermone 33. Habeo & ego verbum, sed in carne, & mihi apponitur veritas, sed in sacramento, Angelus ex adipe frumenti saginatur, & modo satiatur grano, me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, litera palea, velamine fidei, & hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitys spiritus quantulūcunq;

cunq; acceperunt condimentum, prorsus mors mihi in olla, nisi de propheta farinula dulcoretur. Et mox, at quantalibet sane abũdantia pinguescant ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti, & adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei, & forma serui, nempe in omnibus his, fides mihi locuples, intellectus pauper, nunquid vero par sapor, intellectui, fideiq; cum sit in meritum ista, ille in præmium, vides distare tantum inter pabula, quantum & interloca, & sicut exaltantur cœlũ à terra, ita inhabitantes in eis. Hîc vides apertè Bernhardum antitheſim facere, inter memoriam & præsentiam: & quædam alia quæ ad hoc negocium multum conducunt. Sed redeamus ad aduersarios.

Habent patres quos nobis opponant, Irenæum, dicentem constare Eucharistiam ex duabus rebus terrena & cœlesti, quod idem & Gelasius autumat. Cæterum ista nõ concludunt, nisi quòd si acceperis totum

sacramentum, vt vnum constituas, ex signo & significato, tunc fatemur illud constare ex duabus rebus. Verum si postea velles inter panem & corpus Christi tantam constituere coniunctionem, quanta est inter naturam diuinam & humanam in Christo, id minimè concedendum esset, quia oporteret ex pane & corpore Christi fieri vnam hypostasin, id est vnum suppositum, ita vt nunquàm à se mutuo diuellerentur, quæ sunt absurdissima. Ex reliquis patrib. fermè obijciunt eadem, quæ supra citabant trassubstãtiatores.

Quomodo sacrãmentũ dicatur cõstare ex duab. reb».

Obiectiones aduersus opinionem recitatam.

Videamus in præsentia, quidnam hi qui tertiam amplectuntur opinionem, aduersus istos dicant. In primis non admittunt, illam diffusionem corporis Christi, ita vt sit vbique, eò quòd aduersetur proprietati humanæ naturæ. Et Augustinus ad Dardanum secus apertissimè scribit. Præterea contendunt manducationem in Ioanne positam, capit. 6. & hanc extremam, omnino eandem esse, nisi quòd hic adduntur symbola, atque

Explicatur tertia opinio

id

id probant hoc argumẽto, quòd Ioã. cũ mentionem feciſſet ſuæ manducationis ad finem Euangelij, non meminit inſtitutionis ſacramenti, vt cæteri Euangeliſtæ, nam ſatis iſta tradiderat antea. Et ſummam doctrinæ, quã illi omiſerunt, Ioan. illo 6. cap. ſuppleuit. Neque eſt aiũt propterea quòd quiſpiam dicat, idcirco ſuperfluam eſſe communionem, quia frequenter communicando memoriam Domini, & gratiarum actiones celebramus, & mens excitatur, earum rerum quæ aguntur ſpecie, neq; ibi habentur ſigna muta, ſed loquentia. Deinde quædam teſſera illic eſt, qua Chriſtiani inter ſe, & cum Chriſto ſe denotant coniunctos, profitentur præterea fidem ſuam de corpore Chriſti acto in crucem & ſanguine fuſo pro noſtra ſalute, non enim ſatis eſt corde credere, ſed ore quoq; fit confeſſio, neque tantum ore, verum externis actionibus. Neque ſuſcipiunt quòd iſti aiunt impios etiam ſumere corpus Chriſti, nã ſenſus, & ratio, ad ipſum non pertingunt, ergo relinquitur fide percipi, qua cum illi de-

Vtilitates cõmunionis.

Impij nõ ſuſcipiũt corpus Chriſti

ſtituantur, nihil præter ſymbola poſſunt habere. Et Paulus ſcribit, Qui manducauerit hunc panem indignè, neque dicit, qui manducat corpus indignè. Mirantur præterea eos, qui cõtrariam opinionem ſectãtur, quod illi manducationi corporali Chriſti, attribuant remiſſionem peccatorum, quandoquidem illud eſt opus operatum admittere, neque habetur peccatorum remiſſio, niſi per fidem. Innituntur poſtea locutionibus Pauli, quando iubet Dominus hoc fieri in ſui memoriã, & annunciari mortem eius, quæ videntur ipſis corporis Chriſti abſentiam indicare. Sed alias admonui argumentum hoc non eſſe, vſque adeò firmum, niſi intelligant de corpore Chriſti realiter, & corporaliter, atque naturaliter præſenti, alioquin cum fide percipiatur, non intelligitur prorſus abeſſe, quamuis in cœlis maneat, quoad ſuam naturam atq; ſubſtantiam. ſpiritualiter enim manducatur, atq; nobis reuera iungitur. Citant dehinc patres, qui apertè pronunciant typum, ſignum, et figuram hic eſſe

Remiſsio peccatorũ habetur p fidem, non ex opere operato manducandi.

Additamẽ debet q̃ manducando fides excitatur non quidẽ ui operis ſed operãte ſpiritu Dei.

esse corporis Christi. Atque inducunt duo similia. Vnum est de amico, cuius amicus corporaliter absens, dicitur esse præsens, quando cogitat de eo, Item ponunt multa specula, quæ sint in circuitu eiusdem hominis, cui aspectus & facies multiplicatur, per omnia hæc specula, tametsi is suo loco non moueatur. Sunt fateor ista similia aliquanto frigidiora, quàm vt bene conueniant huic mysterio. Amicus enim compræhensus cogitatione, & versatus animo, nequaquam mutat cogitantem, non alit eius animum, neque etiam carnem illius instaurat, vt resurrectionis fiat capax. Et illa quæ in speculis habetur, tenuissima est vmbra, neque debet conferri illi coniunctioni, quam nos habemus cum CHRISTO: Nam spiritualis CHRISTI præsentia, quam ponimus, vim spiritus sancti, coniunctam habet, quæ nos ipsi arctissimè copulat. Non tamen prorsus respuenda sunt commemorata similia, cum possint nos quoquomodo in rei veritatem inducere, Duo similia.

modo intelligantur rem non adæquare, indicant enim quomodo, fide ac animo fiat ista perceptio. Meminerunt autem duarum coniunctionum cum Christo. Vna est, quod fide amplectimur, corpus eius actum in cruce, & sanguinem fusum pro nostra salute. Altera est, quod ipse Dei filius suscepit veram naturam nostram, & sic inita est naturalis communio inter nos & Christum, cuius mentio est ad Heb. cap. 2. Sed est quædam tertia coniunctio, quam nos cum Christo inimus, eum manducando spiritualiter, cuius illi mentionem non adeo frequenter faciunt, licet non omnino taceant. Verum de illa paulò pòst agemus. Quod si interrogentur isti, an Christus adsit præsens cœnæ dominicæ, respondent adesse, cæterum hoc dicunt per synecdochen, quoniam altera pars Christi, id est diuinitas verè præsens adest. Alioquin in exponenda sententia Domini, hoc est corpus meum, adhibent metonymiam, nimirum signi ad rem significatam. Atque CHRISTVM ipsum eo modo videntur conce-

Per synecdochē Christus adest cœnæ.

concedere præsentem esse, vt sol, qui se continet in suo orbe, & nihilominus dicitur adesse mundo, eumq; regere suo motu, & luce. Quàm vero fides possit rem præsentem facere, ex epistola ad Galatas vbi Paulus dixit, Christum ob oculos eorum descriptum, et inter eos crucifixũ, putant se declarasse. Præsentia fidei.

Nunc super est, ut inter has duas sententias ostendamus, quid nostro iuditio, aut cauendum sit, aut recipiendum. Non quòd in animo habeam singulares, præstantissimosq; viros taxare, aut Lutherum, aut Zuingliũ. Nam de Zuinglio certo scio, quòd in suis libris signa ponit in hoc sacramento minime uacua aut irrita, vt superius dixi. Atq; etiam mihi relatum est ab hominibus, qui cum Luthero egerunt, illum reuera inter corpus CHRISTI & symbola non posuisse nisi coniunctionem sacramentalem, quomodo vero contentio sit aucta, & inter eos inflammata, nunc non est tempus recensendi. Sepositis ergo his viris, nunquam satis laudatis, de opinionibus agemus, prout enarratæ sunt, Iudicium de postremis duab. opiniõib.

Cauenda in secunda opinione.

& ultro citroq; iactantur. Quamobrem in priore opinione, crassam illam connexionem corporis Christi cum pane, vt naturaliter, corporaliter & realiter, in eo comprehendatur, minime probo. Quia scriptura sancta ad hoc statuendum minime nos adigit, & multiplicare, & augere tot miracula, absq; illius testimonio, non est theologicum. Quibus addas, talem præsentiam necessariam non esse, & ad nostram salutem nullum habere momentum. Impios deinde sumere corpus Domini haud recipio: Nam quicquid Dominus instituit, id fecit, vt nobis esset salutare, Verum manducatio carnalis et corporalis non est impijs ad salutẽ, ergo Christus eam huiusmodi non instituit. Et quicquid impij ibi comedant, corporaliter, non debent dici comedere corpus CHRISTI, nisi signo aut symbolo velis tribuere nomen rei. Præterea non dabimus, corpus Christi vbiq; esse, aut per omnia uel multa loca diffundi, eo quòd istud aduersetur conditionib. naturæ humanæ. Neque item sentiendum est

discrimen

discrimen esse inter spiritualem manducationem, quæ habetur in Ioanne cap. 6. & illam quam dominus instituit in postrema cœna, nisi quod ei doctrinæ atque promissioni quam prius tradiderat, adiecit symbola. Quod etiam loquuntur ambigue de adoratione, non debet facile admitti. Supra enim docuimus, & quidem plane, atq; aperte, quid ea de re sentiendum sit. Atq; hæc de ista sententia, ex qua demenda puto, quæ modo commemoraui. In altera verò, mihi id minus placet quòd raro mentionem faciunt sacramentalis mutationis panis & vini, quæ tamen non leuis est, & patres vbicunq; videntur fauere transubstantiationi, eam respiciunt. Atque scriptura sancta illam non contempserunt, etenim Paulus in ipsa agitatione sacramenti, non simpliciter nominat poculum, sed poculum domini. Deinde videmus in testamento veteri, ea quæ oblata fuerant, appellata esse non tantum sancta, verum sancta sanctorum, hoc est Hebraica phrasi, sanctissima. Quare nõ

Quod in altera sententia minus probatur.

Mutatio sacramẽtalis res magna, &

afferta à sacris litteris.

est quòd dicant mutationẽ hanc leuem esse, cum magni sit momenti. Quod si prætexant se id facere, vt nimium symbolis non hæreamus, Respondetur facile posse remedium adhiberi huic malo, per doctrinam, qua instituantur homines, Christũ coniungi nobis dum communicamus, eximia copula, vt qui maneat in nobis & nos in eo. Qui deinde proximo gradu iungitur verbis, atq; id per significationem. Copulatur & tertio loco symbolis, atq; item per significationem, quæ tamen est minor quam illa sit, quæ pertinet ad verba. Imo per priorem quæ scilicet verborum est, symbola suam significationem sacramentalem sortiuntur. Si hæc rite doceantur, nihil erit periculi. Fateor scriptores huius opinionis quandòque tractasse istam conuersionem sacramentalem, sed raro. Deinde nõ adiecerunt semper ei efficaciã, quæ illi debetur. Non enim efficiuntur ista uulgaria signa, sed quæ potenter atq; efficaciter animum permoueant. Dicent, hoc erit nimium tribuere elementis huius mundi. Occurrimus ista

Tribus rebus p gradus coniũgitur corpus Christi.

De efficacia sacramenti

non

non illis tribui per seipsa, verum ob institutum DOMINI, spiritus sancti vim, atque verborum claritatem. Si quaesierint, vnde habeam Spiritum Sanctum hic agere, facile est respondere, quoniam est iam constitutum, spiritualem esse hanc manducationem: At quomodo spiritualiter manducabimus absq; spiritu sancto? De instituto Domini non est dubitandum, & de efficacia verbi passim loquuntur scripturæ, Paulus inquit euangelium esse vim Dei ad salutem, nimirum quod Deus vim suam declaret hoc instrumento, & Eucharistia quid aliud est quam euangelium seu verbum visibile? Dicit item Paulus, fidem esse ex auditu, & auditum per verbum Dei, non quod verbum nos credere faciat, Spiritus enim est per quem credimus, sed vtitur organo verborum, atq; etiam sacramentorū, quæ sunt verba Dei sensibilia. Quis etiam nesciat per verbum Dei creaturas sanctificari, vt habetur in epistola ad Timotheum? quod etiam rectè accipiendum est, nam spiritus san-

Spiritus sancti actio inter uenit in cō municādo

ctus est qui reuera sanctificat, verum instrumento & verborum & sacramentorum, hoc facit. Non itaq; auferenda est hæc mutatio à pane et vino, qua reddantur signa corporis & sanguinis Christi efficacia, id est, quibus potenter & non vulgariter spiritus domini in nos agat, modo fide & pietate simus præditi. Non enim ponimus hic efficaciam quæ salutem nostram alliget rebus huius mundi. Neque hic obstrepat aliquis, cum fide ista perceptio habeatur, quid lucrabuntur communicantes, quandoquidem si sunt fideles, iam habent sibi coniunctũ CHRISTVM? Facile est occurrere, coniunctus illis quidem est, sed in dies redditur coniunctior, et dum communicamus, magis ac magis nobis vnitur. Præterea hoc accedit, quod mandato Domini satisfacimus, qui vt manducaremus et biberemus hoc sacramentum præcepit. Dixeris alioquin idẽ de baptismo. Cum enim quis credit, statim iustificatus est, & remissionem peccatorum habet, non tamen frustra baptizatur. Quod si requisieris,

fueris, an ista efficacia Eucharistiæ se habeat æqualiter quoad omnes. Respondeo minime, sed ad rationem & portionem fidei communicantium. Vt Origenes dicebat, 15. cap. Matthæi, Sacramenti huius materiam non prodesse, sed quod est per verbum & obsecrationem iuuare animos nostros, pro quantitate & portione fidei. Aliud præterea est quod istos vellem inculcare, nos per communionem Christo incorporari, quæ vox non est noua, sed in Paulo habetur ad Ephesios, qui dicit, Gentes factas coheredes & concorporales, quod Græcè dicitur, σύσσωμα. Nametsi ponimus apprehensionē corporis Christi, fieri per fidem, attamen effectum sequitur ad hanc apprehensionem, vera coniunctio cum Christo, non ficta aut imaginaria, quæ primo ad animam pertinet, deinde ad corpus redundat. Et ea commendatur nobis in sacris litteris à Paulo, sub metaphora capitis & corporis, cum nos appellat membra eiusdem corporis sub Christo capite, &

An efficacia Eucharistiæ habeat æqualiter quo ad omnes.

Incorporamur Christo cōmunicando.

sub ratione coniugij, in quo duo fiunt vna caro. Quod Cyrillus ut exprimeret, simile in duxit ceræ liquefactæ, quæ alteri ceræ permisceatur, & ita ex duabus eadem fiat. Sic uoluit nos Christo coniungi, Et ad hoc maxime faciunt verba ad Ephesios quibus dicimur esse, ex carnibus eius, atque ex ossibus eius, quæ si respicias prima fronte videbitur secus dicendum, scilicet filium dei esse ex carnibus nostris & ex ossibus nostris, quia ex nostro genere carnem assumpsit. Sed Paulus intellexit non simplicem carnem, verum à peccato mundam, resurrectionis capacem, & immortalitatis, quàm fideles cum ex se ipsis non habeant, neq; ex Adamo traxerint à Christo sibi vendicant, quando illi per sacramenta, & fidem incorporantur. Fit itaq; illapsus quidam Christi in nos, & contractus spiritualis, quem Paulus expendebat cum diceret ad Galatas, Viuo ego iam non ego, sed uiuit in me Christus. Neque propter ista opus est Christum è cœlo detrahere, vel corpus eius diffundere, ad infinita loca, quandoquidem

An Christus sit ex carnibus nostris uel nos ex carnibus eius

Illapsus Christi in nos.

dem ſpirituale eſt totũ hoc quod tradimus. Verum tamen non fictum, nam ſpectra, idola, aut figmenta, nequaquam animum nutriunt, vt hic fieri certũ eſt. Diximus enim & confirmamus, hæc ſymbola & ſignificare, & offerre, ac exhibere veriſſime corpus Chriſti, licet ſpiritualiter, id eſt animo comedendũ, non ore corporis. Quod ſi quæſieris, quo pacto veteres in ſuis ſacramentis iſtud idem habere potuerint, facile eſt reſpondere, quandoquidem non corporaliter ſed ſpiritualiter in hoc ſacramento rem geri ſtatuimus. Et in Apocalypſi legitur, Agnum immolatum ab origine mundi. Illi futura expectabant, nos iam facta recolimus. Hoc tantum cauendum poſtremo oſtẽdimus, ne quod adijcimus ſemper de modo ſpirituali, intelligatur veritati detrahere. Dicebat enim Auguſtinus ſuper pſalmo 54. Corpus Domini, certo loco eſſe in cœlo, ſed veritatem corporis Domini vbiq; eſſe. nam vbicunq; ſint fideles apprehendunt Chriſtũ habuiſſe verum corpus pro nobis traditum,

Quomodo veteres idẽ habuerint nobiſcũ in ſuis ſacramentis.

& eo fide vescuntur. Itaque iam dixi, quod mihi videtur debere constitui iuxta scripturas, in hac re sacramentaria. Quæ vtinam pius lector, & bene expendat, & boni consulat. Faxit autem Deus pro sua bonitate, vt Ecclesia Christi tandem, quoad hoc sacramentum, & veritatem & pacem obtineat. Quæ duo idcirco mihi sunt in optatis, quod hactenus animaduerterim, Eucharistiam (de qua agimus) adeo fuisse, mendacijs, imposturis, atque superstitionibus obrutam, sepultam, & deformatam, ut quidnuis potius æstimari potuerit, quàm id quod in cœna Dominus instituit: Quam ne facile repurgatam haberemus, diabolus, omnis pacis, & veritatis grauissimus hostis, tot seuit opiniones, contentiones, dissidia, hæreses, & pugnas, tantum non cruentas, vt vix consensus Christianis dignus humana ratione sperari possit. Verum hæc (proh dolor) non iniuria patimur, qui hoc sacramentum duplici contumelia affecimus, partim quia ex insigni & singulari CHRISTI

dono

dono idolum execrandum erexímus: partim vero, quia parum ſyncera fide, conſcientiaq; grauiſſimis peccatis inquinata, abſque legitima noſtrum ipſorum probatione, ſacra hæc myſteria vſurpauimus. Miſereat DEVM (precor) tantæ calamitatis, dignetur q; tandem Eccleſiæ ſuæ inſtauratam Euchariſtiam, bonum q; eius uſum reſtituere, per IESVM Chriſtum Dominum noſtrũ.

AMEN.

FINIS TRACTATIONIS de Euchariſtia.

INDEX LOCORVM QVI EX BIBLIIS adducti atque etiam explanati sunt.

E.

Esaiæ loci. 53.14. & 175.22
Ezechielis. 137.2

H.

Hieremiæ. 53.16. & 74.6

L.

Lucæ. 15.7. & 211.21.237.14

I.

Ioan. Euangel. 12.10. & 42.22. & 55.4. & 55.13. & 76.7. & 80.12. & 125.5. et 129. 20. & 134.21. & 133.12. & 175.4. et 180. 2. & 186.7. & 225.5. et 231.16. & Ioan. Apocalyp. 80.15. & 125.18. & 135.17.

M.

Marci. 144.15
Mathæi 132.20. & 141.14. & 144.15. & 194.19. & 224.1.
Mosis 24.10. & 133.18. & 134.10. & 134. 20.

20. & 136.8. & 188.17.

P.

Pauli loci 15.8. & 21.6. & 52.14. & 57.15. & 62.1. & 66.16. & 75.21. & 92.1. & 125.5. & 129.9. & 132.23. & 136.14. & 137.21. & 139.6. & 140.4 & 155.6. & 156.22. & 157.9. & 173.7. & 206.2. & 224.8. & 227.12. et 228. 21. & 233.20. et 248.10. & 253.15. & 255. 12. et 256.6.

INDEX LOCORVM QVI ex ecclesiasticis doctoribus adducti, atque etiam explanati sunt.

A.

Ambrosij loci. 52.3. & 99.5. & 139.10. & 146.20. & 163.6. & 164.9. & 215.21.

Augustini 58.2. & 66.1. & 81.21. & 92.5. & 93.1. & 101.4. & 103.8. & 104. 8. et 126.12. & 133.3. & 145.23. & 147.22. et 153.23. & 163.20. & 171.20. et 172.9. & 173.6. & 205.21. & 210.1. & 225.4. & 234.23. & 335.7. 61.3.

Athanasij locus. 98.13

INDEX

B.

Basilij. 98.22. & 147.20
Bernardi. 123.3. & 142.14. & 147.18
Bertrami. 61.20. & 122.31

C.

Chrysostomi. 100.4. & 121.5. & 163.7. & 165.5. & 166.3. & 167.8. & 168.3. & 170.6. & 181.17. & 225.8. & 233.13
Cypriani. 60.22. & 97.2. & 146.16. et 152.17. & 161.11. & 233.5
Cyrilli 107.16. & 170.16. & 238.8. & 256.2

D.

Dionysij. 99.2

E.

Emiseni. 100.23
Erasmi. 101.18
Eusebij. 178.10

F.

Fulgentij. 241.5

G.

Gelasij. 122.10
Gregorij. 122.18

H.

H.

Hesychij. 70.22. & 122.6. & 177.21
Hieronymi. 93.3. & 96.3. & 100.1. et 146. 6. & 210.14. & 229.23
Hilarij. 179.14

I.
